

# SYNOPSIS
# UNIVERSÆ THEOLOGIÆ
JUXTA MENTEM
ANGELICI DOCTORIS
QUAM
MICHAEL DE PETRO
CIVIS ROMANUS
IN COLLEGIO CALASANCTIO SCHOLARUM PIARUM THEOLOGIÆ AUDITOR
Themate cum nemine communicato factaque cuilibet argumentandi potestate
*PER BIDUUM PUBLICE PROPUGNABIT*
DIE NEMPE XV. SEPTEMBRIS
SUB AUSPICIIS
EMINENTISSIMI PRINCIPIS S. R. E. CARDINALIS
NICOLAI PERRELLI
DIE VERO XVI.
SUB AUSPICIIS
EMINENTISSIMI PRINCIPIS S. R. E. CARDINALIS
F. JO: LAURENTII GANGANELLI.






ROMÆ MDCCLXVI.
APUD HÆREDES FRANCISCI BIZZARRINI KOMAREK,
IN TYPOGRAPHIO S. MICHAELIS AD RIPAM.

*SUPERIORUM FACULTATE.*



EMINENTISSIMO AC REVERENDISSIMO PRINCIPI

S. R. E. CARDINALI

# F. LAURENTIO GANGANELLI

MICHAEL DE PETRO

FELICITATEM.



UÆ in aliquo ſibi eligendo ſtudiorum ſuorum Auſpice, atque Patrono intueri ſolent homines, tria potiſſimum ſunt, EMINENTISSIME PRINCEPS; vel præclara ſcilicet, quam ille ſuſti-

net, persona, & dignitas, vel summum de singulari ejus doctrina judicium, vel animus denique ad beneficia pronus, ac facilis. Mecænatis enim dignitate fit, ut optimarum artium cultores protegantur: Sapientia, ut benigne excipiantur, ac perhonorifice: Beneficientia denique, ut amplissimis cumulentur beneficiis. Causas itaque habes, CARDINALIS AMPLISSIME, cur disputationem hanc meam Tuo Nomini nuncupandam existimaverim. Ut enim de dignitatis Tuæ amplitudine, qua Regibus par es, & in universa fulges Ecclesia, nihil penitus dicam, quotus quisque est, qui nesciat, ad summum hunc honoris, ac dignitatis gradum nonnisi Sapientiæ, ac doctrinæ Tuæ commendatione Te esse evectum? Egregia plane sunt atque omnibus perspecta ingenii, doctrinæ, eruditionis Tuæ argumenta. Sive enim res, ac disciplinas Theologicas ratione & via, eximiaque cum Auditorum utilitate fructuosissime tradas; sive ad graviora Romanæ Ecclesiæ, & præsertim San-

ctioris

ctioris illius gravissimique Consilii, quod Sacræ Inquisitionis dicunt, adhibearis negotia, exquisitam semper divinarum rerum cognitionem, atque scientiam cum acie, & perspicuitate ingenii, cum gravi maturoque judicio feliciter copulasti. Benevolentiæ tandem Tuæ erga me, fratremque meum, ac magnitudinis Tuorum erga me meritorum locupletissima apud me sunt, atque præclara argumenta, ut oratione complecti vix possim. Hoc unum tacitus præterire nullo modo possum, me nunquam ad Te accessisse, quin humanitate me Tua erigeres, adjuvares consiliis, eruditione instrueres, litterarum fulcires præsidiis, beneficiis ornares. Quæ cum ita sint, Princeps Eminentissime, diu multumque deliberandum mihi non fuit de hoc ingenii mei, quodcumque sit, specimine Tibi nuncupando; Tibi, inquam, in quo & Summa Dignitas, & Singularis Sapientia, & Maxima erga me Beneficentia arctissime conjunguntur. Ex quo etiam intelliges, me & dignitatis Tuæ esse obser-

vantis-

vantissimum, & doctrinæ ac virtutis percupidum, & beneficiorum denique Tuorum, ut debeo, memorem, planeque gratum.



# DE LOCIS THEOLOGICIS

## *DE SACRA SCRIPTURA.*

1. SACRAE SCRIPTURAE nomine nil aliud venit, quam verbum Dei, eodem afflante, atque movente, litteris consignatum.

2. Cujus generis fuerit hujusmodi Sacrorum Scriptorum afflatus, variæ, pugnantesque feruntur sententiæ. Impie certe hac de re sensit Spinosa autumans, Prophetas, & Apostolos memoria haud raro lapsos, humanisque abrepros affectionibus; Deum vero earum indole, phantasia, & anteceptis opinionibus etiam falsis usum, ut suam declararet hominibus voluntatem.

3. Sacrarum etiam Scripturarum magna ex parte labefactant auctoritatem, immo totam funditus evertunt, & tollunt, qui non semper Scriptores Sacros Spiritum Sanctum in se loquentem habuisse voluerunt, sed spiritu non semel humano locutos.

4. Meritò etiam exagitati, & in culpam vocati sunt, qui sola speciali Dei errorem omnem a Scriptoribus Sacris arcentis præsentia, sive assistentia contenti, satis sibi videbantur Scripturarum dignitati consuluisse, etsi omnem Dei afflatum ab earum Scriptoribus submoverent.

5. Egregie præ omnibus de Scripturarum dignitate sentiunt, qui non res, & sententias solum, sed & verba quæque, quin & verborum apices, stylum ipsum, texturamque sermonis a Spiritu S. speciatim movente esse contendunt. Non dissimulamus tamen, hujusmodi sententiam suas pati difficultates.

6. Vero quam maxime similis est eorum opinio, qui divina qui-

dem Sacris Scriptoribus opus fuisse revelatione fatentur, non tamen semper, nempe dum visa referunt, vel audita. Hinc apposite Melchior Canus de locis Theol. lib. 2. c. 18. ad 1. *Sivè ergo Matthaeus, & Joannes, sive Marcus, & Lucas, quamvis illi visa, hi audita referrent, non egebant quidem nova Spiritus Sancti revelatione, egebant tamen peculiari Spiritus Sancti directione.*

7. Quum vero Deus ita soleat uti hominibus tanquam instrumentis, ut tamen ipsi humano modo operentur, hinc firmum est, ac ratum, eosdem, Deo licet inspirante, movente, ac dictante, liberos fuisse in Sacris litteris conscribendis.

8. Divina igitur eademque certissima est, atque gravissima Sacrorum librorum auctoritas. Deus quippe neque ordinaria potentia, neque extraordinaria mentiri potest, vel fallere sive per se, sive per administrum: & *cum sit omnipotens*, ait Augustinus lib. 2. de C. D. c. 25. *mori non potest, falli non potest, mentiri non potest.*

9. Quibus vero libris Sacra contineatur Scriptura, definivit Concilium Tridentinum sess. 4. *Sunt vero infrascripti, Testamenti veteris, quinque Moysis, idest Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium: Josue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon Esdrae primus, & secundus, qui dicitur Nehemias, Tobias, Judith, Hester, Job, Psalterium Davidicum centum quinquaginta psalmorum, Parabolae, Ecclesiastes, Canticum canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Jeremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetae minores, idest Osea, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michaeas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggaeus, Zacharias, Malachias, duo Machabaeorum primus, & secundus.*

10. *Testamenti novi, quatuor Evangelia, secundum Matthaeum, Marcum, Lucam, & Joannem; Actus Apostolorum a Luca Evangelista conscripti: quatuordecim Epistolae Pauli Apostoli ad Romanos, duae ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duae ad Thessalonicenses, duae ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebraeos, Petri Apostoli duae, Joannis Apostoli tres, Jacobi Apostoli una, Judae Apostoli una, & Apocalypsis Joannis Apostoli.*

11. Quamvis autem omnes hujusmodi libri, mox ut a suis auctoribus prodierunt, credendi, agendique regulam constituerint, non omnes tamen in Ecclesiae Canonem, seu Indicem statim relati sunt. Qui semper fuerunt in Canone Proto-Canonici appellantur; qui vero, sublata omni dubitatione, serius inserti, Deutero-Canonici.

12. Utrum vero Canonicus habendus sit liber aliquis, vel non, ad privatos Christianae Reipublicae cives minime pertinet, sed ad Ecclesiam juxta tritam illam omnium sermone usurpatam sententiam: *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiae moveret auctoritas.*

13. Ecclesiae vero nomine, ad quam pertinere diximus judicium de Scripturis Canonicis, congregationem fidelium quorumcumque minime designamus, sed vel universale Concilium, vel Romanum Pontificem Summum Ecclesiae Caput.

14. Eadem dicenda putamus de Sacrarum Scripturarum interpretatione,

tione, quarum sensum perperam Novatores facilem cuique, & obvium esse contendunt; quum potius compertum habeamus, atque exploratum: *Mare esse Scripturam Divinam habentem in se sensus profundos, altitudinem propheticorum ænigmatum*, ut ajebat Ambrosius, ac proinde usurpare quemlibet posse illud Eunuchi Isaiam legentis act. 8., *quomodo possum* (intelligere), *si non aliquis ostenderit mihi?*

15. Neque ipsa itaque Scriptura de suo sensu Judex esse potest; neque ad privatum cujusque Spiritum pertinet de Scripturæ sensu definire, sed ad Ecclesiam, cui Christus librum signatum perpetuo aperit, cui & Apostoli, quam a Christo acceperant, intelligentiam tradiderunt.

16. Jamvero ex omnibus Latinis editionibus, quæ circumferuntur, Sacrorum librorum, Vetus, ac Vulgata, quæ dicitur, editio, quæ longo tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, pro authentica in omnibus, & per omnia haberi debet, ut declaravit Concil. Trid.

17. Non ergo audiendi Novatores, qui *Vulgatam* de erroribus, & mendis ubique notant, præfracteque accusant, illudque Calvini usurpare amant, nempe, *adeo nullam esse in Vulgata editione integram paginam, ut vix tres sint continui versus non insigni aliquo errore fædati.*

18. Approbata autem a Concilio Trid. Vulgata, Latinaque editione non propterea damnantur exemplaria Hæbraica, vel Græca, ex quibus tamquam ex fontibus Latina fluxit editio, & quæ suam retinent fidem, auctoritatemque, ubi integra fuerint, & incorrupta.

19. Quamvis Hodiernus Hæbraicus Textus constuprationibus pateat, ac proinde ubi a Vulgata discrepat, fidendum ei minime sit; ab ipso tamen Scripturarum exordio ad usque adventum Domini, & prædicationem Apostolorum, immo Apostolorum omnium assumptionem Hæbreus Textus ab omni erroris nævo fuit immunis.

20. Rationibus item, Patrumque calculo demonstratur, Septuaginta Seniorum versionem ad initum secundi Sæculi sincere, & limpide fluxisse.

21. Ceterum Historiam 70. Interpretum, quam a Pseudo-Aristæa, & Pseudo-Aristobulo veteres hauserunt, complura falsitatis signa præ se ferre, doctissimi aliqui recentiores duxerunt, quibus ut subscribamus, plura movent.

22. Licet vero historia, quæ sub Aristeæ nomine circumfertur, commentitia sit, translationi tamen, quæ diu in Synagoga, & in Ecclesia fidem obtinuit, detrahendum minime esse censemus.

23. De Scripturæ demum translationibus in linguas vulgares hoc unum statuimus, minime scilicet expedire, ut Sacræ Scripturæ lectio omnibus promiscue concedatur; & idcirco jure optimo, meritoque modum constituit Ecclesia, qui eo in usu concedendo debeat observari.

De

# *De Divinis Traditionibus.*

24. DIVINAS TRADITIONES dicimus Verbum Dei non ſcripto, ſed voce intercurrente per Apoſtolos ad nos traductum.

25. Luculentiſſima Sacrarum Litterarum teſtimonia efficiunt, *non omnia Apoſtolos ſcripſiſſe, quæ docuerunt*, utar Chryſoſtomi verbis homil.4. in 2.Theſſal. *& multa eos dixiſſe, quæ non ſunt ſcripta, quæ tamen perinde digna ſunt fide, ac illa, quæ Scripta ſunt.*

26. Admittendum eſt ergo Verbum Dei traditum, illudque maxime neceſſarium ad ſalutem, quum non omnia, quæ ad fidem, aut mores pertinent, aperte contineantur in Scriptura; nonnulla vero non obſcure quidem.

27. Merito hinc Synodus Tridentina ſeſſ. 4. *omnes libros tam veteris, quam novi Teſtamenti . . . . nec non traditiones ipſas tum ad fidem, tum ad mores pertinentes tanquam vel oretenus a Chriſto, vel a Spiritu Sancto dictatas, & continua ſucceſſione in Eccleſia Chriſtiana conſervatas pari pietatis affectu ac reverentia ſuſcepit, ac venerata eſt.*

28. Dicta hæc tamen volumus de iis traditionibus, quas a Chriſto acceptas Apoſtoli fidelibus ſervandas reliquere, & quas Apoſtolico-Divinas vocare nonnulli amant. Hæ enim divinæ ſunt, & immutabiles, ac proinde ab illarum vinculo Eccleſia fideles eximere non poteſt, nec illas contraria aliqua conſuetudine abolere.

29. In iis vero, quæ mere Apoſtolicæ dicuntur, & quas conſtituerunt Apoſtoli tamquam Eccleſiæ Paſtores, poterit Summus Pontifex diſpenſare, poteritque item contrarius populi mos inſtituta hujus generis abrogare.

30. Traditionum Judex, quemadmodum & ceterarum rerum, quæ ad fidem ſpectant, aut mores, nonniſi Eccleſia, vel Eccleſiæ Caput Summus Pontifex eſſe poteſt.

31. Sunt vero quædam regulæ ad traditiones diſcernendas aptiſſimæ. Harum præcipuam ab Auguſtino accepimus hiſce verbis: *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec a Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum, eſt, nonniſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur.* Hanc perperam exagitat Chriſtophorus Matthæus Pfaffius.

# *De Eccleſia.*

32. ECCLESIAE nomine hic intelligimus *cœtum hominum unius, ejuſdemque fidei profeſſione, eorumdemque Sacramentorum communione ſub uno legitimo, ac viſibili capite, Romano ſcilicet Pontifice, congregatus.*

33. Ex his ſtatim innoteſcit, quos intra, quos vero extra Eccleſiam eſſe conſtituamus. Primo quidem nulla eſt cum myſtico hoc Chriſti corpore ſocietas, & conjunctio hæreticis, & infidelibus, qui Chriſti fidem non profitentur: quamvis ſi de hæreticis occultis ſermo ſit, dari facile poterit, eos *ſecundum quid*, ideſt, ſecundum exteriorem quamdam ſpeciem, & ſe-

& ſecundum externam Sacramentorum perceptionem eſſe in Eccleſia.

34. Non ſunt præterea in Eccleſia Cathecumeni, qui nondum facti ſunt Sacramenti fidei, ſeu baptiſmi, ceterorumque participes.

35. Nec etiam Excommunicati, qui per Eccleſiæ cenſuram ab eorumdem Sacramentorum communione remoti ſunt.

36. Nec demum Schiſmatici, qui etſi fidem Eccleſiæ profiteantur, & Sacramenta percipiant, abjecta tamen Romani Pontificis obedientia, viſibili Eccleſiæ Capiti ſubeſſe pervicaciter nolunt.

37. Ex eadem præterea ſuperius tradita Eccleſiæ definitione neceſſario fluit, Eccleſiam viſibilem eſſe oportere, & quæ deprehendi ſenſibus poſſit tanquam tabernaculum in Sole conſtitutum, civitas ſuper montem poſita, & lucerna ſuper candelabrum accenſà, ut luceat omnibus, qui in domo ſunt.

38. Eſt ergo purum, putumque Novatorum commentum Eccleſia ita abſcondita, ut oculorum aciem penitus fugiat, unique Deo patens ſit, atque explorata, ut ait Calvinus l. 4. Inſtit. c. 4. n. 7.

39. Conſequitur etiam ex prædictis, neque ſolos, neque omnes prædeſtinatos eſſe in Eccleſia: Prædeſtinatio quippe & hominibus ignota eſt, & in eos quoque quadrat, qui fide ſunt aliquando deſtituti, nec initiati baptiſmo.

40. Habet vero Chriſti Eccleſia notas quaſdam, ſeu teſſeras, quibus a reliquis Chriſtianorum cœtibus internoſcatur. Duas excogitavit Calvinus, ſinceram nempe verbi prædicationem, & rectam Sacramentorum adminiſtrationem. Has tamen nec certas, nec ſolidas, nec germanas eſſe ad veram Eccleſiam explorandam, jamdudum obſervarunt Romanæ Eccleſiæ Theologi.

41. Legitimas igitur Eccleſiæ notas ſtatuimus, quas Generales Synodi Nicæna I, & Conſtantinopolitana I nobis propoſuerunt, docentes, credere oportere, & profiteri Eccleſiam *Unam, Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam*.

42. *Una* ergo ſit oportet vera Chriſti Eccleſia, nimirum una præſertim ejus fides; *Sancta*, ratione ſcilicet doctrinæ, & præſtantiorum membrorum; *Catholica*, omnium ſcilicet locorum, & temporum; *Apoſtolica* demum, ſeu ab Apoſtolis perpetuam habens ſuorum Paſtorum inſtitutionem.

43. Conveniunt autem hujuſmodi notæ in ſolam Romanam Eccleſiam; hinc rite inferimus, eam ſolam veram eſſe Chriſti Eccleſiam; reliquos vero baptizatorum cœtus perperam, & falſo Chriſti Eccleſiæ ſibi nomen uſurpare.

44. Ex ea vero, quam ſuperius tradidimus, Sanctitatis Eccleſiæ notione liquido apparet, Sanctitati Romanæ Eccleſiæ minime obſtare vel peccatores manifeſtos, vel morum corruptelas, vel errores, & vitia, quibus in Romana Eccleſia complures tenentur. Sanctus quippe eſt ejus Auctor Chriſtus, Sancta ejus fides, Sancta Sacramenta, Sancta doctrina morum, Sancta præſtantiora membra, Sancta demum comparandæ Sanctitatis præcepta & adminicula.

45. Jam vero habet Eccleſia abſolutis ex Chriſti pollicitationibus, quas vanas, & irritas nemo tam impius dixerit, habet, inquam, Spiritum veritа-

ritatis secum manentem, sibi suggerentem omnia, quæ Christus dixit; consectarium proinde est firmissimum, nihil credere, aut docere ipsam posse, quod sit veritati contrarium.

46. Pollicitus est autem Christus, fore, ut Spiritus hic veritatis cum Ecclesia *maneat in æternum*, & se *omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* nobiscum futurum esse spopondit; hinc fit, ut Romanæ Ecclesiæ fides nec deficere, nec vitiari ullo modo possit.

47. Est vero Ecclesia summus fidei controversiarum, nec non omnium, qui de vero legis, & Verbi Dei sensu disceptant, Judex; quapropter ejus definitionibus, ac judicio ita standum est, ut qui ipsam non audierit, tanquam Ethnicus, & Publicanus haberi merito debeat.

# *De Conciliis.*

48. Concilia generalia, de quibus sermonem hic potissimum instituimus, cœtum vocamus Episcoporum ex omnibus Christiani Orbis partibus accitorum in locum unum çoeuntium, ut causas vel fidei, vel morum, vel disciplinæ definiant.

49. Errant idcirco media in luce Novatores, qui vel Laicos etiam ad Concilia vocandos contendunt, ut de fidei quæstionibus judicent; vel nonnisi filios Dei in Synodum Ecclesiæ cogendos volunt, ut Bucerus præcipue commentus est.

50. Qui vero Synodis aliquando interfuerunt Christiani Imperatores, aut destinati ab iisdem Judices, abstinuerunt religiosissime a ferenda de Ecclesiasticis rebus sententia; nec alterius finis gratia suam Conciliis commodarunt præsentiam, quam tuendæ Conciliorum libertatis, componendorum, si quæ inter Patres orirentur, dissidiorum, arcendæque omnis vis auctoritate sua.

51 Quod si & Conciliorum decreta interdum hi subscripsisse leguntur; id non alio nomine factum defendimus, nisi ut auctoritatem suam dumtaxat adiungerent, quo & sæcularis potestatis metu continerentur hæretici, & Synodales, quorum Princeps ipse subscriptor erat, sanctiones facilius, pleniusque implerentur.

52. *Generalium Synodorum convocandorum auctoritas*, verissime scribente Pelagio II. Rom. Pontif., *Apostolicæ Sedi B. Petri singulari privilegio tradita est*.

53. Hinc si Christiani Imperatores Synodos aliquando convocarunt, id minimè ad eos pertinuit *jure, & potestate regiminis*; sed ex Apostolicæ Sedis concessione, & ceu *Tutores Ecclesiæ, potestate præsidii*.

54. Legitimum ergo dicimus Concilium, quod Romani Pontificis auctoritate non convocatum solum fuerit, sed etiam confirmatum.

55. De Generali vero legitimo Concilio hoc pro certo habemus, nimirum errare illud in fide non posse, & ratas ejus definitiones certam facere Catholicorum dogmatum fidem.

56. Hinc in turpi calumnia non deprehensi solum, sed & convi-

cti

cti passim a nostris sunt Calvinus in *antidoto*, Kemnitius in *examine Concilii Tridentini*, aliique Novatorum complures, qui multum in se laboris susceperunt, quo probarent, multa a Tridentinis Patribus in dogmatum fidei censum collata, quæ palam a Verbo Dei, a Justitia, a Veritate abhorrent.

57. Non omnia quæ etiam absolute & simpliciter in Conciliis affimantur, Fidei decretum sunt, ajente Cano. lib.5. cap. 5. qu. 4. in fine.

58. Sunt igitur, eodem docente, aliquæ in promptu notæ, quibus Conciliorum de fide judicia internosci queant. Prima, si contrarium asserentes pro hæreticis damnentur. Altera, cum in hanc formam Synodus decreta præscribit: *Si quis hoc, aut illud senserit, anathema sit*. Tertia, si in eos, qui Synodi sanctionibus adversantur, excommunicationis sententia ipso jure feratur. Quarta demum, si quicquam expresse & proprie a fidelibus firmiter credendum, aut tanquam dogma fidei Catholicæ accipiendum dicatur, vel aliis similibus verbis aliquid esse Evangelio, doctrinæve Apostolorum contrarium.

59. Quam ob rem quæ in Conciliorum decretis vel explicandi gratia inducuntur, vel ut obiectoni respondeatur, vel etiam obiter, & in transcursu præter institutum præcipuum, de quo erat potissimum controversia, ea non pertinere ad fidem asserimus, hoc est, non esse Catholicæ Ecclesiæ judicia, nisi ejusdem Ecclesiæ universæ consensione firmentur.

## *De Romano Pontifice.*

60 PETRUM Apostolum fuisse a Christo institutum, universalis Ecclesiæ Pastorem, & Caput, docet apertissime illud præsertim Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & Portæ inferi non prævalebunt adversus eam, & tibi dabo claves regni Cælorum &c.*

61. Ex quo etiam liquet testimonio, eximia quadam & singulari ratione claves regni Cælorum, a Christo traditas Petro, quod ceteris dignitate præstaret, universamque representaret Ecclesiam.

62. Neque alio modo Græci, Latinique Patres citatum Matthæi locum interpretantur, quum ex eo inferant, Petrum fuisse *Apostolici chori Principem, Apostolatus tenuisse Principatum, Apostolorum omnium fuisse os, verticem, caput, Petram* demum illam, super quam Christus Ecclesiam suam ædificatum iri promiserat.

63. Quoniam tamen S. Petrus *secundarium* dumtaxat, atque *ministeriale* fuit Ecclesiæ fundamentum; Christus vero *primarium*, & *essentiale*; hinc nihil roboris argumento nostro detrahitur ex eo, quod Patres verba illa, *& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, ad Christum aliquando referant.

64. Tributus fuit ergo Petro primatus potestatis, & jurisdictionis, non ordinis tantum, ac honoris, ut Novatores comminiscuntur, & ma-

xime Pictetus, de cujus sententia Petrus primus recensetur in Sacris Litteris, *quod ceteris esset ordine prior, ætate senior, donis cumulatior, ingenio fervidior, & ad loquendum promptior*.

65. Putidissime etiam idem Pictetus mentitur, dum ad libitum sibi fingit, *habuisse Petrum ante Resurrectionem Christi primatum, post ejus tamen Resurrectionem Apostolos omnes factos æquales, & æquali a Domino potestate donatos*. Petro quippe soli post resurrectionem dixit Christus semel, atque iterum: *Pasce agnos meos, Pasce oves meas*.

66. Ex hoc ipso autem pascendi agnos Christi, & oves munere, quemadmodum ex aliis compluribus Sacrorum Librorum testimoniis certo evincimus, collatam Petro cujusque erroris immunitatem, nullumque potuisse in Petri doctrinam errorem irrepere.

67. Neque ab interiori, quam mente retinuit, fide excidit Petrus, cum Christum se nosse ter ore negavit: *quis* enim *ita evanescat*, ajebat Augustinus lib. contra Mendac. c. 6., *ut existimet Apostolum Petrum, hoc habuisse in corde, quod in ore, quando Christum negavit? Nempe in illa negatione intus veritatem tenebat, & foris mendacium proferebat*.

68. Ita quum Antiochiæ coegit Gentes judaizare, peccavit Petrus non *falsi prædicatione*, sed *imprudenti conversatione*, objurgatusque a Paulo est, ut scandalum amoveretur, non ut redintegraretur violata fides.

69. Jam vero divinitus institutum esse propugnamus, ut aliquis perpetuo in Ecclesia esset, ad quem Petri primatus, & in fide firmitas pleno jure derivarentur: nec enim post Petri obitum suam Christus Ecclesiam deseruisse censendus est, ac desiisse ejusdem utilitati consulere.

70. Quum autem Petrum Romæ & collocasse sedem, & pro Christo Martyrii gloria coronatum, graves omnes historiæ tradant, necessario inde fluit, Romanum Episcopum Petro in summa regendi Ecclesiam auctoritate succedere.

71. Romanus itaque Pontifex in Petri & locum, & privilegia pleno jure venit, quæ Sedi divina institutione annexa sunt, quæ nimirum ad perpetuam universalis Ecclesiæ utilitatem referuntur.

72. In Romano igitur Pontifice publice, & ex Cathedra, ut ajunt, definiente non Petri auctoritas tantummodo, sed & soliditas, Deo auctore, collocata est, ita quidem, ut quoties de moribus, aut fide pronunciat, errare nullo modo possit.

73. Perperam vero conantur Novatores longum ostentare syllabum Romanorum Pontificum, qui aliquem in errorem publice inciderint.

74. Si enim ad Stephanum I nos provocent, eum hæreticorum quorumvis baptismum sub qualibet forma collatum minime probasse defendimus.

75. Si ad Marcellinum idolis thura adolentem; præterquam quod *conversationis* tantummodo fuisse vitium, non *prædicationis*, errorem *facti*, non *juris*, fidei defectum *in opere*, non *in doctrina*, plana res est, & expedita: tum hujus Romani Pontificis lapsum, tum Sinuessanam Synodum veluti Donatistarum commenta rejicimus.

76. Si

76. Si ad Liberium Arianæ formulæ subscribentem; Arianorum commentum esse ejus subscriptionem propugnamus, Patrum vero opuscula, ex quibus eruitur, supposititia esse, vel interpollata.

77. Si ad Vigilium in controversia Trium Capitulorum sententiam suam passim mutantem; præterquam quod ea in controversia, ipso scribente Vigilio, non disputatum fuit de fide, sed de personis, ac proinde libera fuit aliter atque àliter eo in negotio censendi facultas sine ulla Christianæ Religionis injuria, accedit etiam, Vigilii, quæ videbatur, inconstantiam prudentiæ, & maturo consilio tribuendam esse, eumque agendi modum a canonica disciplina pependisse.

78. Si ad Honorium Monothelitarum errori faventem; in eorum descendimus sententiam, qui Epistolam Sergii Costantinop. Episcopi ad Honorium ante Sextam Synodum Generalem vitiatam fuisse a Monothelitis, & corruptam defendunt, ex duabus vero, quæ extant Honorii ad Sergium Epistolis primam fuisse item vitiatam, alteram penitus ab iisdem effictam.

79. Si ad Joannem XXII effugiant animabus justorum visionem beatificam differentem usque ad extremi judicii diem; præsto erit respondere, Summum illum Pontificem eam in sententiam propendisse quidem, cum cuilibet permiserit pro suo arbitrio sentire, nunquam tamen eum errorem ex Cathedra, & veluti Universalis Ecclesiæ Magistrum definivisse, vel promulgasse.

80. Si denique Clementem XI obiiciant Eutychianam hæresim docentem iis verbis *Hodie forma servi reversa est in formam Dei*; nullius erit negotii orthodoxam prorsus demonstrare hujusmodi loquendi rationem, nullaque eam indigere benigna legentium interpretatione.

81. Quam hactenus Romano Pontifici inerrantiam asseruimus in rebus fidei morumque, eamdem quoque ei certissime adjudicamus in solemni interponendo judicio de Sanctorum Canonizatione; cum multum referat ad communes Ecclesiæ mores perspectum habere, quos religione colere debeamus.

82. Qua vero certitudine tenendum sit R. Pontificem errare non posse in Sanctorum Canonizatione, utrum nempe de Fide id sit, nec ne, pro utraque parte pugnant Theologi doctissimi: utramque nos opinionem in sua probabilitate relinquentes usquequo Sedis Apostolicæ judicium prodeat, hoc unum tuemur cum Melchiore Cano de loc.Theol.l.5.c.5.concl.3. *Qui fidem in his (hoc est Canonizationibus) Ecclesiæ detrahunt, eos non hæreticos quidem, sed temerarios, impudentes, irreligiosos esse credimus.*

83. Hinc demum intelligimus in rebus fidei, morumque definiendis necesse minime esse, ut Romani Pontificis auctoritati accedat etiam Concilii cujusvis consensus: atque proinde perperam aliquando scriptum fuisse novimus, *semper fuisse in Ecclesia istam consuetudinem, ut ad res dubias explicandas Concilia Episcoporum haberentur; & ipsos etiam Romanos Pontifices nullam umquam hæresim novam sine novo Concilio damnavisse.*

# DE DEO UNO EJUSQUE ATTRIBUTIS.

84. DEUM existere, æternam scilicet, sapientissimamque mentem, quæ est ipsa per se, & prima rerum omnium causa, evidens adeo putamus & exploratum, ut qui *athei* dicuntur, tales reipsa esse, ne cogitare quidem possimus.

85. Quamvis autem veritatis hujus demonstratio, quæ *a priori* dicitur, nulla fortasse sit, aut infirma; labefactari tamen nullo potest modo, quæ *a posteriori* dicitur, seu per effectus.

86. Sunt autem hac de re gravissima Divi Thomæ momenta 1. part. quæst. 2. artic. 3. *ex parte motus, & ratione causæ efficientis; ex possibili, & necessario; ex gradibus, qui in rebus inveniuntur; ex rerum gubernatione*: quidquid in oppositum senserint Gregorius de Valentia, Lamindus Pritanus, alii.

87. Deum nihil aliud esse, quam vastam hanc aspectabilemque rerum universitatem, infinitam, immensam, incircumscriptam, cujus ut principium nullum, ita & nullus finis, somniarunt Spinozæ Discipuli. Talem vero Deum ponere, perinde esse ac vere nullum agnoscere, nemo non videt.

88. Huic maxime affinis est eorum error, qui animam Mundi Deum esse dixerunt, quos solidissimis argumentis ex Angelico desumptis loc. cit. quæst. 3. artic. 8., & 1. contra gentes cap. 27. confutamus.

89. Quid igitur est Deus? quamvis facilius intelligatur quid non sit, quam quid sit; ex ea tamen, quam natura insculpsit in mentibus, notione, Spiritum purissimum eum esse, cujusque scilicet materiei, & concretionis corporeæ prorsus expertem, propugnamus.

90. Ab hac Dei notione alienus minime fuit Tertullianus, quem ab Antropomorphitarum erroris nota defendere conamur, fatentes tamen, eum durius, quam par erat, fuisse hac in re locutum.

91. Neque solum excludimus a Deo compositionem *quantitativarum* ut vocant, *partium*, quia Corpus non est; sed etiam compositionem formæ, & materiæ, ita ut *neque in eo sit aliud natura, & suppositum, neque aliud essentia, & esse, neque in eo sit compositio generis, & differentiæ, neque subjecti & accidentis*, ut ait S. Thomas ibidem artic. 7: uno verbo, nulla sit in eo, quam *metaphysicam* dicunt, compositio.

92. Maximam ergo huic divinæ simplicitati irrogavit injuriam Gilbertus Porrectanus, qui *realem*, ut ajunt, ac intrinsecam in Deo distinctionem admisit, sive quia naturam, relationes, attributa a Deo ita distinxit, ut Deitas, Paternitas, sapientia &c. Deus non essent; sive quia inter divina tantum attributa distinctionem invexit, de qua re non convenit inter Theologos.

93. Est vero Deus id, quo cogitari nihil excellentius, & majus potest; hinc ex eadem Dei idea plane conficitur, & rerum omnium ei ines-

inesse perfectiones vel *proprie* scilicet, & *formaliter*, vel *virtualiter* solum, & *eminenter*.

94. Si itaque de attributis sermo primum sit, quæ ad ipsam pertinent Dei naturam, hæc de eo demonstramus, bonum esse, infinitum, immensum, immutabilem, æternum.

95. Infinita vero Dei perfectio egregium firmissimumque suppeditat argumentum contra Polytheistas ad Dei unius existentiam efficiendam. Vel enim plures Dii non diferrent, ac proinde non essent plures; vel id, in quo diferrent, non inesset æque singulis Diis, atque idcirco non æque perfecti, neque vere Dii.

96. Hujusce Dei unitatis hostes Gentibus longe detestabiliores fuerunt Manichæi: ut enim his exprobrabat Augustinus lib. 20. contra Faustum cap. 9. *Illi ea colunt, quæ sunt, sed pro Diis colenda non sunt; vos autem ea colitis, quæ omnino non sunt.*

97. Nil ergo insipientius fingi potuit, quam duo esse summa rerum principia, summe malum unum omniumque malorum causam, alterum summe bonum, omnisque bonitatis fontem, & radicem.

98. Quæ hactenus de Dei natura, & attributis ex creatis rebus ceu Dei effectibus, & vestigiis hausimus, cognitionem obscuram efficere, & *abstractivam*, ut vocant, nemo est qui dubitare possit. Ut vero creata mens qualiscunque illa sit, perspicue, atque intuitive Deum videat, impares omnino sunt naturæ vires, atque idcirco *oportet, ut ad tam nobilem visionem intellectus creatus per aliquam divinæ bonitatis influentiam elevetur* ait S. Thomas 3. contra gentes cap. 53.

99. Merito hinc Aetiani primum & Eunomiani, tum XIV. Ecclesiæ sæculo Beguardi damnati sunt, propterea quod eo stultitiæ delapsi sunt, & arrogantiæ, ut se tam perspicue, aperteque Deum nosse jactaverint, quam ipsi se aliosque sui similes intuebantur.

100. Specalis hæc vero *divinæ bonitatis influentia*, seu dispositio illa, qua creata mens ad intellectualem divinæ substantiæ visionem extollitur, *lumen gloriæ* recte aptissimeque ab Ecclesia & a Theologis vulgo appellatur.

101. Quæ vero sit hujus luminis natura in tanta Scholarum contentione nihil certi definire audemus. Illum unum exploratum habemus, delirasse Palamitas, qui lumen gloriæ commenti sunt increatam claritatem quamdam esse a Deo reipsa distinctam, & corporeis oculis aspectabilem.

102. Posse autem Deum a creata mente collustrata lumine gloriæ *facie ad faciem* videri, docent Divinæ Litteræ, Patrum auctoritas, ipsa demum naturalis ratio.

103.. Præpostere igitur Armeni Sæculo VII. & Almariciani Sæculo XII. ex divini eloquii testimoniis colligere conati sunt, creatam mentem nec Dei gratia adiutam, supernoque perfusam lumine pertingere eo posse, ut Deum clare, ac *intuitive* ut ajunt, videat.

104. Frustra quoque iidem Armeni, aliique sui in erroris præsidium Sanctorum Patrum auctoritatem adduxerunt præsertim, Chrysostomi; quum pro certo habeamus, eosdem Patres *invisibilem* Deum prædicasse, vel quia explicari, aut videri naturali ratione nequit, vel quia comprehendi a nullo potest.

105. Com-

105. Comprehendi vero Deum non posse, hoc est tantum cognosci, quantum cognoscibilis est, vetat ipsa Dei natura, quæ cum infinita sit, nequit creatæ mentis finibus circumscribi, & intra creatæ mentis limites concludi.

106. Nec etiam absolute videri essentia Dei potest oculis corporeis, quorum potentia nequit se extendere ultra corporalia.

107. Nec aliud sensisse videtur Augustinus, cujus mens non ex iis eruenda est, quæ *inquirendo, & sub conditione*, ait Angelicus 1.part. quæst. 12. artic. 3, pronunciavit, sed ex iis quæ constanter affirmate, absolute, aperteque scripsit.

108. Hac vero Dei *facie ad faciem* visione donantur justi, non ad extremum judicii diem, sed statim a morte, si nihil ei fuerit divinæ justitiæ luendum.

109. Quamvis autem non dissimulemus, laboriosum nimis esse, ac fortasse vix fieri posse, ut nonnulli ex veteribus Patribus satis commode explicari queant secundum Ecclesiæ sententiam; fatemur tamen hac de re constantem, ac perpetuam fuisse in Ecclesia traditionem.

110. Sanctorum Deum facie ad faciem videntium *formalis*, ut ajunt, beatitudo æqualis minime est; sed imparibus horum meritis imparem Dei visionem, fruitionemque respondere, adversus Jovinianum contendimus.

111. Æqualis tamen erit Sanctis omnibus duratione. *Quamvis enim meritorum diversitate*, ait S.Gregorius Magnus, *fulgebunt, alius magis, alius minus, vita tamen æterna æqualis erit in omnibus; non enim alteri longius erit, alteri brevius, quod pariter sempiternum.*

112. Hinc merito datum est crimini Origeni, propterea quod posuerit, ut memorat Divus Thomas lib. 3. contra gentes cap. 62. *animas & Angelos post Beatitudinem iterum posse ad miseriam devenire.*

113. Quemadmodum formarum omnium perfectionem in se continet Deus, ita quæ convenit Deo potentia, passiva esse nequit, sed activa, eaque summa, ac perfectissima, cum actus ille sit perfectissimus. Ab hac igitur omnipotentia Deus omnipotens vocatur.

114. Hac autem ratione Deus omnipotens dicitur, quia possibilia omnia facere potest: possibile vero quod divinæ subditur potentiæ, id intelligendum est, quod tale absolute est, seu quod, si fiat, nullam involvit contradictionem.

115. Ex quo intelligimus, divinæ potentiæ subdi minime posse deceptionem, mendacium, peccatum, quemadmodum nec crescere, decrescere, ambulare, loqui, moveri; cum priora imperfectionem moralem involvant: posteriora vero imperfectionem physicam, & limitationem.

116. Quamvis Deus non possit nisi sapienter agere, & juste, ac proinde aliquo sensu agat necessitate sapientiæ & justitiæ; non tamen per sapientiam suam, & justitiam alligatus est ad certum agendi modum, & ordinem. Hinc, fit ut alia facere possit Deus, quam quæ facit, quæ si ageret, sapienter, & juste ageret.

117. Quinimmo fatendum est, in creaturis nihil esse summum,

seu, ut ajunt, extremum potentiæ divinæ; ac proinde potest Deus quavis re a se facta, aut facienda aliam meliorem facere.

118. Inter cetera vero præcipua Divinæ omnipotentiæ opera maxime nobis in Scripturis commendata, objecti ratione majora, & ad manifestandam Dei potentiam aptiora, principem facile sibi locum vindicat Mundi cum partibus suis ex nihilo creatio.

119. Mundi creationem sex dierum naturalium spatio perfectam fuisse, sentiunt Patrum plerique, Theologorum, & Interpretum. Augustinus vero sex illos dies nonnisi per diversas Angelorum Sanctorum cognitiones distinguendos censuit. Utraque sententia suos habet probabilitatis gradus; neutra a veritate fidei discordat.

120. Quod si non omnia fuerunt simul distincta, & ornata, id non ex impotentia Dei est, quasi indigentis tempore ad operandum, sed ut ordo servaretur in rerum institutione, ita ut diversis statibus Mundi diversi dies deservirent.

## *De Scientia Dei.*

121. SCIENTIAE DIVINAE nomine certissimam intelligimus, evidentissimamque defectus errorisque cujuslibet prorsus expertem intelligentiam, quæ unum idemque sit cum ipsamet essentia Dei, qui simplicissimo individuoque uno actu omnia simul absque ulla successione, ac investigatione, seu *discursu*, ut ajunt, perfectissimè contemplatur.

122. Pollere Deum hac scientia, ipsa Dei notio dubitare non sinit, cui omnium ferme Philosophorum, Poetarumque suffragatur auctoritas, apud quos nihil solemnius, quam Deum præstantem, æternamque mentem esse, omnia sentientem, omnia cernentem, omnium mentes maxime perspicientem.

123. Scientia autem divina *non est qualitas in Deo* ( *S. Thomas* 2. *p. q.* 14. *articulo* 2. ) *vel habitus, sed substantia, & actus purus.*

124. Una est ergo Dei Scientia, quemadmodum una est, ac simplicissima ejusdem natura, & substantia: atque hinc *in Deo intellectus intelligens* ( *S. Thomas ibid. art.* 4. ) *& id quod intelligitur, & species intelligibilis, & se ipsum intelligere sunt omnino unum, & idem.*

125. Multiplex ergo illa apud Theologos divinæ scientiæ partitio non aliunde repetenda est, quam a veritate rerum, quas Dei scientia objectas habet, seu *ex parte rei scitæ*, ut ait S. Thomas q: 2. art: 9. ad 2.

126. Sunt autem Theologis notæ vulgatæque in Scholis divinæ scientiæ partitiones *in speculatricem, & effectricem*; *in necessariam, & liberam*; in scientiam *simplicis intelligentiæ, & visionis*, quam iterum partiuntur Scholæ in scientiam *approbationis, & improbationis*.

127. Jam vero divinæ scientiæ perfectionem paulo latius evoluturi, eam primo loco repetimus ex eo, quod primaria, & connaturalis divinæ scientiæ res objecta ipsa sit Dei natura, & essentia, quam proin-

de

de vocant Theologi objectum *primarium*, *connaturale*, atque *specificativum divinæ scientiæ*.

128. Cumque Deus ita perfectè cognoscat seipsum, sicut perfectè cognoscibilis, ita ut nihil sui sit, quod ipsum lateat; Hinc Deum dicimus, non solum se ipsum nosse, sed etiam comprehendere, sumpto nimirum comprehensionis vocabulo, per *negationem*, non autem propriè, ne divinam essentiam finitam esse ponamus.

129. Se ipsum autem dum intelligit Deus, perfectè cognoscit virtutem suam, & ad quæ illa se extendat. *Unde cum virtus divina se extendat ad alia*, (S. Thom. art. 1. p. q. 14. art. 5.) *eo quod ipsa est prima causa effectiva omnium entium, necesse est, quod Deus alia à se cognoscat*.

130. Deus itaque (ibid.) *se ipsum videt in se ipso, quia se ipsum videt per essentiam suam. Alia autem à se videt non in ipsis, sed in se ipso, in quantum essentia sua continet similitudinem aliorum ab ipso*.

131. Hunc ergo in sensum, docente ibidem Angelico ad 1. exponendæ sunt Patrum locutiones, Deum nihil extra se intueri docentium.

132. Divinæ igitur scientiæ omnia prorsus subsunt possibilia, & cujusque modi creata, præterita, præsentia, futura, spiritualia, & corporea, magna, & parva, sublimia, & abjecta: Ac proinde Dei scientia rectè dicitur universalis extensivè.

133. Hinc facile patet quare vilium cognitio nihil detrahit divinæ nobilitati: Ita enim intelligit vilia, *ut non informetur similitudine illius vilis* (S. Thom. in 1. dist. 35. art. 2. ad 2.); *ut simul cum vili intelligat nobile*; *ut demum una operatione intelligat & vilius, & nobilius*.

134. Mala vero cognoscit Deus *non directe per se, sed indirecte, & per accidens*, ut ajunt, hoc est, ut ait S. Thomas loco citato 1. p. art. 10., *non cognoscit malum per privationem in se existentem, sed per bonum oppositum*.

135. Ne vero divina scientia, humanæ instar, *discursiva* videatur, quum ex bonis mala cognoscat; egregie docuit S. Thomas libro 1. contra gentes cap. 71., mala cognosci per bona, *sicut res per suas definitiones, non sicut conclusiones per principia*: bonum scilicet in mali definitione includitur, quum malum sola sit, finiaturque *privatio boni*.

136. Est præterea scientia Dei certissima ita quidem, ut omnia quocumque modo futura Deus certissime sciat, nullusque in eam cadere possit error: Intelligit quippe omnia per essentiam suam, quæ primaria, & summa veritas est.

137. Quamvis autem res futuræ liberæ, ut divinæ scientiæ subsunt, aliter evenire nequeant: non tamen, quæ fortuita dicimus, naturam fortuiti propterea amittunt, nec aliam induunt necessitatem, quam quæ *Hypothetica* dicitur, seu *consequentiæ*.

138. Deus, enim ajente Angelico lib. 1. contra gentes cap. 68. *cum sit cognitor totius esse, cujus est principium, cognoscit unumquemque effectum, non solum in se, sed etiam in ordine ad suas causas proximas. Ordo autem contingentium ad suas proximas causas est, ut contingenter ex iis proveniat. Cognoscit igitur Deus aliqua evenire, & contingenter evenire*.

139. Quamobrem si futura libera, quæ Deus certissime novit, ad proximas suas causas referantur, quarum ea natura est, ut quidpiam efficere pos-

possint, vel non efficere, recte enunciari de his potest, ea vel non cadere, & evenire, vel aliter cadere, & evenire posse.

140. Illud demum de eadem scientia Dei considerandum est, quod si sumatur, *non ut est nuda objecti notitia*, seu *scientia simplicis intelligentiæ*, sed *secundum quod habet voluntatem conjunctam*, *seu quatenus est scientia visionis*, *est causa rerum*; S.Thom. 1. p. loc. citat. art.8.

141. Nihil itaque agit Deus, nihil molitur per scientiam visionis, sub munere visionis; nam hæc res factas præsupponit: sed ut practica est, tamquam per effectricem omnium causam, adeo ut à principio per ipsam facta sint omnia, ac instituta, & usque ad præfinitum tempus regantur, atque moveantur.

142. Deus itaque non ideo scit res futuras, quia futuræ sunt; sed è contra ideo futuræ sunt, quia Deus novit illas esse futuras.

143. Si tamen ratio habeatur scientiæ, ut nuda est, & simplex objecti notitia, seu ut est speculativa, merito enunciari potest, ajente Angelico cum quibusdam Patribus, Deum præscire futura, quia ipsa futura.

144. Quemadmodum, eodem duce, *secundum causam consequentiæ*, *non secundum causam essendi accipi debet*, quod ab iisdem Patribus aliquando enunciatur, *ideo præscire* Deum *aliqua*, *quia sunt futura*; *sequitur enim* (ait ibidem ad 1.) *si aliqua sunt futura*, *quod Deus ea præscierit*.

145. Necesse itaque non est, ut confugiamus ad scientiam mediam, qua Deus, antequam quidpiam sua voluntate definiat, quasi exploret, ac disquirat, quid in his, vel in illis circumstantiis constitutus homo ageret, perspectoque, in quam se partem homo daret, tum demum decretum ferat de eo opportunè adjuvando per gratiam congruam, hoc est ad personæ, cui tribuitur ingenium, indolem, mores, tempus, locum, aliaque adjuncta accommodatam.

## *De Voluntate Dei.*

146. VOLUNTAS intellectum consequitur; cum igitur summa mens sit Deus, omnium mentium causa, sic oportet in Deo esse voluntatem, & *sicut suum intelligere est suum esse*, *ita suum velle*, ait S.Thomas 1. p. q. 14. art. 1.

147. Objectum divinæ voluntatis duplex statuimus, *motivum* aliud, ut vocant, seu *formale*, aliud *materiale*, seu *terminativum*. Illud ad sui executionem potentiam proprie promovet, & impellit: istud, etsi potentiam non promoveat, ab ea tamen attingitur.

148. Objectum formale, & motivum divinæ voluntatis est ipsa divina bonitas, quæ est ejus essentia, *unde cum voluntas Dei sit ejus essentia*, (ibid. ad 3.) *non movetur ab alio à se*, sed à se tantum, *eo modo loquendi*, *quo intelligere*, *& velle dicitur motus*.

149. Alia autem à Deo quælibet, quæ divina voluntas attingit, in posteriori rei objectæ, quam *terminativam* appellant, genere concluduntur.

150. *Deus itaque vult*, *& se esse* [ ibid. art.2. ad 2.], *& alia à se*: *at se ut*

 *finem*,

*finem, alia à se ut ea, quæ sunt ad finem, in quantum condecet divinam bonitatem, alia etiam ipsa participare .... Et sicut alia à se intelligit, intelligendo essentiam suam, ita alia à se vult, bonitatem suam volendo.*

151. *Quemadmodum igitur intelligere divinum* (ibid. ad 4.) *est unum, quia multa non videt, nisi in uno; ita velle divinum est unum & simplex: quia multa non vult, nisi per unum, quod est bonitas sua.*

152. Multiplex ergo illa divinæ Voluntatis partitio, non nisi, in intelligentiam nostram refundi debet, quæ ex objectarum rerum, in quas illa fertur, varietate, eam in plures tribuendi ansam capit.

153. Est autem prima, ac vulgatissima divinæ voluntatis partitio, in voluntatem *signi*, & *beneplaciti*: *voluntas beneplaciti* (q. 23. de verit. art. 3. ad 3.) *est voluntas Dei, & in Deo; voluntas signi non est in Deo, sed a Deo: est enim aliquis effectus talis, qualis solet voluntas designari.*

154. Voluntas *signi* cum vera aliqua, & propria Dei voluntate semper quidem conjuncta est; non tamen cum ea semper, quam ex ea, quæ menti primum se offert, signi consideratione conjicimus. Id apertè liquet ex præcepto, quod Deus dedit Abrahæ Filium suum Isaac immolandi.

155. Notissima est etiam voluntatis Beneplaciti divisio *in antecedentem*, vel ut alii vocant *invitantem*, *bonitatis*, seu *misericordiæ*, & *de rerum possibilitate*, & *in consequentem*, seu *judicantem*, vel *justitiæ*, & *de rerum effectibus*. *Quæ quidem distinctio* (addit Angelicus 1. p. q. 19. art. 6.) *non accipitur ex parte ipsius voluntatis divinæ, in qua nihil est prius, vel posterius, sed ex parte volitorum.*

156. Antecedens Dei voluntas non ea est, quæ humanæ voluntatis consensum ejusque præsensionem antevertit: consequens vero, quæ consensum hunc Scientiæ Mediæ ope exploratum, perceptumque sequitur.

157. Multoque minus antecedens voluntas est, quæ originariæ labis, qua totum humanum genus vitiatum est, præscientiam antegreditur; Consequens vero, quæ noxæ hujus prævisione posterior est, ut Jansenii discipulis placet.

158. Sed, Angelico ibid. tradente, antecedentem eam dicimus, qua vult aliquid *in prima sui consideratione spectatum, seu secundum quod absolute consideratur*; consequentem vero, qua Deus vult aliquid consideratum cum circumstantiis, seu prout cum *aliquo adjuncto consideratur*.

159. Generali illa atque antecedente voluntate omnium hominum salutem vult, etiam reproborum, quemadmodum Sacræ Scripturæ apertissime demonstrant, & præsertim Pauli locus 1. ad Timoth. 2.

160. Cui Doctrinæ ita uno ore subscripserunt semper Concilia omnia, & Patres, maxime Augustinus, ut inter fidei capita collocari merito debeat.

161. Num vero voluntas hæc salvandi omnes homines sit in Deo formaliter, vel eminenter, ut plerique doctissimi viri arbitrati sunt, inquirendum modo non putamus.

162. Hujusmodi voluntas importat actum conditionatum, quo Deus vellet salutem omnium hominum, nisi hoc repugnaret divinæ suæ providentiæ, & justitiæ ordini ceterisque attributis.

163. Non ergo repugnat, voluntatem antecedentem aliquo sensu conditiona-

tionatam dici : quæ tamen imperfectio non voluntatis divinæ est, sed ex parte voliti, quod non accipitur cum omnibus circumstantiis, quæ exiguntur ad rectum ordinem in salutem.

164. Utraque voluntas peculiares suos habet effectus. Antecedentis voluntatis est, omnes homines ordinare ad supernaturalem beatitudinem, salutis viam omnibus aperire, atque sternere, omnibus demum, & singulis adminicula, quibus ad salutem pervenire vere possint, præparare, ac offerre.

165. Consequentis vero voluntatis est, quosdam ad salutem reapse perducere, ac beneficia eximia præparare, quibus certissime liberentur, quicumque liberantur.

166. Jam vero de infinita voluntatis divinæ præstantia aliquid dicturi, tres præcipuas ejus attingimus perfectiones. Est autem primum summa ejus libertas: operatur quippe Deus *omnia secundum consilium voluntatis suæ*, ut habetur Ephes. 1.; ac proinde non quidquid Deus vult, ex necessitate vult.

167. Id tamen de necessitate absoluta intelligendum volumus, non de ea, quam *suppositionis* vocant. Atque hinc quamvis *alia a se Deum velle non sit necessarium absolute, tamen necessarium est ex suppositione* ( ait S.Thomas ibid.art. 3. ) : *supposito enim quod velit, non potest non velle, quia non potest voluntas ejus mutari*.

168. Altera eaque præcipua voluntatis divinæ perfectio est absoluta ejus immutabilitas, quæ, docente S. Thoma ibid. art. 7, ex immutabilitate tum substantiæ Dei, tum ejus scientiæ exoritur. Nullius enim mutatur voluntas, seu modo incipit velle, quod prius noluit, vel desinit, velle, quod voluit, *nisi præsupposita mutatione, vel ex parte cognitionis, vel circa dispositionem substantiæ ipsius volentis*; quorum neutrum ne excogitari quidem de Deo potest.

169. Qui vero possit Deus absque ullo voluntatis suæ immutabilis detrimento quandoque aliquid præcipere, quandoque idem prohibere, ut de Legalium observantia factum novimus, facile intelliget, qui, præeunte D. Thoma ibid, animadverterit, *aliud esse mutare voluntatem, aliud esse, velle aliquarum rerum mutationem. Potest enim aliquis, eadem voluntate immobiliter permanente, velle, quod nunc fiat hoc, & postea fiat contrarium.*

170. Tertia demum voluntatis divinæ perfectio est infinita efficacitas, ita ut quæcumque voluit Dominus, fecerit in Cœlo, & in terra, in mare, & in omnibus abyssis, nullaque causa sit, quæ ei possit resistere.

171. Fieri igitur nequit, ut voluntas divina suum semper effectum non consequatur, aut non fiat quidquid Deus simpliciter vult. *Unde quod recedere videtur* ( verba sunt Angel. ibid. art. 6. ) *à divina voluntate secundum unum ordinem, relabitur in ipsam secundum alium. Sicut peccator, qui in se recedit à divina voluntate peccando, incidit in ordinem divinæ voluntatis, dum per ejus justitiam punitur.*

172. Hujusmodi infinita divinæ voluntatis efficacitas unica ratio est, quare voluntas Dei necessitatem rebus volitis non imponat; Egregium est hac de re S. Thomæ ratiocinium ibid.art. 8: *Cum aliqua causa efficax fuerit*

*ad agendum, effectus consequitur causam non tantum secundum id, quod fit, sed etiam secundum modum fiendi, vel essendi. Cum igitur voluntas divina sit efficacissima, non solum sequitur, quod fiant ea, quæ Deus vult fieri, sed quod eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult. Vult autem quædam fieri Deus necessario, quædam contingenter, ut sit ordo in rebus ad complementum universi, & ideo quibusdam effectibus aptavit causas necessarias, quæ deficere non possunt, ex quibus effectus de necessitate proveniunt, quibusdam autem aptavit causas contingentes defectibiles, ex quibus effectus contingentes proveniunt.*

# *De iis, quæ Dei Scientiam, & Voluntatem respiciunt; De providentia scilicet, & Prædestinatione.*

173. PROVIDENTIAM cum Angelico 1. p. q. 22. art. 1. dicimus *rationem ordinis rerum in finem.*

174. Hic vero ordo, seu ordinis ratio finem ipsum includit, *cum enim*, (ait idem 3. cont. gent. c. 75.) *providentia sit ordinativa aliquorum in finem, oportet, quod ad providentiam pertineant & fines, & ea, quæ sunt ad finem.*

175. Hac sua Deus providentia omnia gubernat, licet minima, & abjectissima, quod clarissimè demonstrant Sacræ Scripturæ, Patres, & ipsa naturalis ratio.

176. Ad providentiam duo spectant, *ratio scilicet ordinis* (1. p. q. 22. art. 3.) *& ordinis executio; quantum ad primum horum, Deus immediate omnibus providet; quantum autem ad secundum sunt aliqua media divinæ providentiæ, quia inferiora gubernat per superiora, non propter defectum suæ virtutis, sed propter abundatiam suæ bonitatis, ut dignitatem causalitatis etiam creaturis communicet.*

177. Unde vero fiat, ut sub æterna immutabili, & prorsus invicta Dei providentia necessitas omnibus provisis minimè imponatur; ex eo repetimus cum S. Thoma q.5.de Veritate: *quia effectus non sequitur necessario causas primas, sed proximas;* Deus autem, *ad cujus providentiam pertinet, omnes gradus entium producere, quibusdam effectibus præparavit causas necessarias,* (ait idem 1. p. l. cit. art. 4,) *ut necessario evenirent, quibusdam vero causas contingentes, ut evenirent contingenter secundum conditionem proximarum causarum.*

178. Generalis providentiæ pars est prædestinatio, quæ vel est ad finem, æternam scilicet gloriam, vel ad media, gratiam nempe & magnum præsertim perseverantiæ donum.

179. Prædestinatio ad gloriam definiri egregiè potest vel cum S. Augustino libro de dono perseverantiæ Cap. 14. *Præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur:* vel cum Angelico 1. p. q. 23. art. 1, *est ratio transmissionis creaturæ rationalis in finem æternæ vitæ in mente Dei existens.* 180.

180. De prædestinatione haud accuratè disseruit Catharinus duas comminiscens salvandorum classes, electorum nempè eximiæ Sanctitatis, quos ampliori Deus adjuvat gratia, ut beatitudinis participes fiant, & minoris meriti, & Sanctitatis hominum, quorum nulla in Deo prædestinatio, specialis amor, nullus delectus, & qui proinde unius divinæ voluntatis antecedentis, & generalium auxiliorum ope coelum obtinent.

181. Prædestinatio cum providentiæ generalis pars sit, ut dictum est, firma, immutabilis, certissima, & plane invicta esse debet; quemadmodum tamen non omnia, *quæ providentiæ subduntur* (ait S. Thomas 1. p. q. 25. art. 6. *necessaria sunt, sed quædam contingenter eveniunt secundum conditionem causarum proximarum, quas ad tales effectus divina providentia ordinavit, & tamen providentiæ ordo est infallibilis; ita & ordo prædestinationis est certus, & tamen libertas arbitrii non tollitur, ex qua contingenter provenit prædestinationis effectus.*

182. Est autem prædestinationis certitudo, non *præscientiæ* tantum, & *cognitionis*, ut putant Molinæ asseclæ, sed etiam *causalitatis*, quatenus nempe Deus prædestinatis quædam auxilia suaptè efficacia præparavit, quibus ad vitam certissimè deducantur æternam.

183. Est autem formalis causa prædestinationis, sola Dei bonitas, liberalitas, & dilectio gratuita, non vero meritorum præscientia, ut ii statuunt, qui dicunt, *quod ideo Deus dat gratiam alicui*, (utar verbis Angel. 1. p. q. 23. art. 5.) *& præordinavit se ei daturum, quia præscivit eum benè usurum gratia.*

184. Neque aliam prædestinationis causam agnoverunt Augustinus, & Thomas, nisi voluntatis æternæ propositum, quo ex eadem perditionis massa, pro eximia sua bonitate, atque munificentia quosdam voluit Deus eligere, iisque præter communia, potiora etiam præparare beneficia, quibus certissimè ab æterno liberentur exilio, & in beatam vitam inducantur.

185. Tres itaque ex dictis patet esse prædestinationis effectus, vocationem nempe efficacem, justificationem, & glorificationem, quos omnes exprimit Paulus Roman. 8. dicens: *quos prædestinavit, hos & vocavit, quos vocavit, hos & justificavit, quos autem justificavit, illos & glorificavit.*

186. Ipsa quoque peccati permissio inter prædestinationis effectus numerari aliquo modo potest, non quidem per se directè, & proxime, sed indirectè, & remotè tantum: peccati enim permissionem ad plura Deus optimus bona ordinat, humilitatem videlicet, circumspectionem, poenitentiam, charitatem &c.

187. Quantum ad ipsam præordinationem divinam, ait S. Thomas 1. p. q. 23. art. 8., nullo modo prædestinatio juvatur precibus Sanctorum: non enim precibus Sanctorum fit, quod aliquis prædestinetur a Deo. Quantum vero ad effectus ejus, dicitur prædestinatio juvari precibus Sanctorum, quia Providentia (cujus prædestinatio est pars) non subtrahit causas secundas; sed sic providet effectus, ut etiam ordo causarum secundarum subjaceat providentiæ.

188. Sicut prædestinatio est pars providentiæ, ibid. art. 2., respectu eorum,

rum, qui divinitus ordinatur in æternam salutem, ita reprobatio est pars providentiæ respectu illorum, qui ab hoc fine decidunt.

189. Hinc sicut prædestinatio includit voluntatem conferendi gratiam, & gloriam; ita reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis poenam pro culpa.

190. Est autem reprobatio positiva alia, alia negativa: illa est destinatio ad gehenæ supplicia; hæc vero exclusio a gloria, ceu a beneficio non debito.

191. Quoniam vero *bonus est Deus*, clamante Augustino lib. 3. contra Julianum cap. 18., *justus est Deus*, *potest aliquos sine bonis meritis liberare*, *quia bonus est*, *non potest aliquem sine malis meritis damnare*, *quia justus est*: hinc reprobatio positiva habet pro motivo prævisa demerita, & peccata, sive actualia, sive originale.

192. Reprobatio itaque (ibid. S. Thom. art. 3.) *non est causa ejus*, *quod est in præsenti*, *scilicet culpæ*, *sed est causa derelictionis à Deo*; *est tamen causa ejus*, *quod redditur in futuro*, *scilicet pœnæ æternæ*: *sed culpa provenit ex libero arbitrio ejus*, *qui reprobatur*, *& à gratia deseritur*.

193. Ex his intelligimus, quam impia, & in Deum contumeliosa sit Calvini positio, reprobationem nempe positivam à nulla cujusvis peccati præscientia, sed à sola Dei voluntate esse repetendam, atque hinc dura peccandi necessitate reprobos obstringi, & à Deo ipso ad scelera efficaciter, verèque impelli.

194. Quid vero de negativa reprobatione dicemus? Sunt qui censeant, non aliam ejus esse causam præter liberam Dei voluntatem, qui absolutus cum sit, summusque munerum suorum Dominus, à cælesti regno aliquos nulla mali cujuspiam meriti præscientia motus excludit, & quosdam sola sua allectus bonitate ad idem regnum gratis eligit.

195. Sunt è contra alii inter Thomistas æquè doctissimi, qui eamdem negativam reprobationem referant ad originalem culpam, tamquam ad causam. Horum verisimiliorem putamus sententiam, & illud Angelici q. 6. de verit. art. 2. ad 9. fidenter usurpamus: *In ipsa electione Ratio est divina bonitas*; *ratio autem reprobationis est originale peccatum*, *ut dicit Augustinus in Enchird. cap.* 8.

196. Quod si Sanctus Thomas ex solo divinæ voluntatis beneplacito rationem sumi vult electionis aliquorum, & reprobationis aliorum; id de speciali reprobationis ratione intelligendum est, non vero de generali, ut idem scitissimè explicat lect. 4. in cap. 9. Epist. ad Rom.

197. Sunt denique funestissimi reprobationis effectus peccati, quod poenitentia expiandum non est, permissio, perseverantiæ ad exitum usque negatio, obduratio, excæcatio, hoc est privatio supernæ lucis, qua mens illustratur, & salutaris poenitentiæ, qua cor mollitur, ipsa demum æterna damnatio.

# De Deo Trino.

198. DE Augustissimo TRINITATIS Mysterio hallucinatos fuisse Mamertum, Abaylardum, Richardum a Sancto Victore, Lullum, aliosque nonnullos, qui arcanum hoc usque adeo cognitu, captuque facile judicarunt, ut ad illud explanandum, demonstrandumve, quavis seposita revelatione, non probabilia solum, sed & *necessaria* sibi visi fuerint ad manum habuisse argumenta, testatissima res est apud omnes.

199. Conveniunt quippe nostrates omnes adversus Socinianos, nisi divinum nobis præluceat lumen, impossibile esse Verbi Divini generationis scire Secretum, & cæcos adeo nos esse, ut cognoscendo Trinitatis Mysterio impares omnino simus viribus, multoque minus ad illud inveniendum iis rationis momentis, quæ Infidelium pervicaciam expugnent, & assensum extorqueant.

200. Supposita tamen divinarum Litterarum hac de re testificatione, probabilia quædam momenta, & exempla adhiberi possunt, quibus mysterium hoc fide creditum aliqua saltem ratione illustretur, probeturque a naturæ lumine minime abhorrere.

201. Vana itaque sunt ea plura, quæ ex priscis Ethnicis congeruntur testimonia, ex Zoroastre, Mercurio Trismegisto, Platone, Pythagora, & Aristotele, & Sybillarum carminibus, ut ostendatur posse Mysterium hoc solius naturæ viribus percipi.

202. Hinc adversus Hebræos primum, ex Veteris Testamenti, quod unum divinum habent, auctoritate demonstramus, Personarum individuæ ejusdem naturæ numerum in Deo esse, nec Divinæ naturæ unitatem violare.

203. Hæc ipsa argumenta invicta esse putamus adversus Sabellianos in Socinianis redivivos, quibus tamen locupletiora opponimus ex novo Testamento petita, effecturi tres revera esse in Deo admittendas personas, non specie solum, aut nomine tenus, quemadmodum illi.

204. Inter cetera vero ex Novo Testamento argumenta egregium etiam illud firmissimumque contendimus, quod ex 1. Joannis 5. instruitur: *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus. Et hi tres unum sunt*. Hunc enim versiculum non autographum, sed spurium, nec nisi Amanuensium aut oscitantia, aut dolo malo in laudatum Joannis caput irrepsisse, temere affirmant Sociniani.

205. Unanimi etiam Patrum traditione adversus Antitrinitarios pugnamus, usurpamusque fidenter Augustini verba l. 1. de Trinit. c. 4.: *Omnes quos legere potui, qui ante me de Trinitate scripserunt, Catholici Tractatores hoc intenderunt secundum Scripturas docere, quod Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus unius ejusdemque substantiæ inseparabili æqualitate Divinam insinuat unitatem, ideoque non sunt tres Dii, sed unus Deus.*

206. Temere itaque, ac nonnisi summam per impudentiam toti connisi sunt Calviniani aliqui, ut probarent longe aliud olim in Ecclesia creditum, quam quod definitum in Nicæno Concilio fuit; Veteres Patres de Per-

Personarum divinarum æqualitate prava, & absurda locutos; eosdem Trinitatem admisisse prius rudem, & informem, formatam deinde, omnique ex parte perfectam in aspectabilis Mundi hujus exordio.

207. Sunt vero tres istæ personæ æquales omnino, & plane coæternæ. Qui autem inter illas est ordo, non durationis est, sed originis, & quatenus dicit, non quo alter sit prius altero, sed quo alter est ex altero.

208. Quæ itaque singulis personis attribuuntur, vel appropriantur essentialia, non ita singularum sunt propria, ut in alias pariter non conveniant; sed attribuuntur, ut aliquam earumdem personarum, quantum humanæ conditioni,& mortalis vitæ statui datur, cognitionem assequamur.

209. Jam vero ad Mysterii hujus essentiam illustrandam progredientes, illud primum statuimus, fundamentum numeri, & distinctionis divinarum Personarum esse processionem, seu unius Personæ ab altera originem.

210. Quamvis autem probari aliquo modo possit usus vocabuli *Principiati* de Filio, & Spiritu Sancto, quatenus a Patre sunt, tamquam a Principio, usurpati; satius tamen est, monente Angelico 1.p.q.33.a.1. ab eo abstinere: *quia licet attribuamus Patri aliquid auctoritatis ratione principii: nihil tamen ad subjectionem, vel minorationem quocumque modo pertinens attribuimus Filio, vel Spiritui Sancto.*

211. Cavendum multo magis est a *Causæ* vocabulo ad denotandam divinarum Personarum originem: *Hoc* enim *nomen causa*, docente ibid. S.Th., *videtur importare diversitatem substantiæ, & dependentiam alicujus ab altero.*

212. Sunt autem duæ tantum divinæ processiones: prima scilicet, qua ex fœcundissima Dei Patris mente Verbum editur, quæque proprio certoque vocabulo *generatio* dicitur; altera qua ex Patris, Filiique individua voluntate, mutuoque amore Spiritus Sanctus emittitur, quæque *processio* dicitur, seu *passiva Spiratio*.

213. Quumque duæ istæ processiones infinitam Dei expleant fœcunditatem: hinc divina licet natura fœcundissima sit, nec est, nec esse potest in divinis, nisi Pater unus, unus Filius, unus Spiritus Sanctus.

214. Quid utramque inter processionem intersit discriminis, curve sola Filii processio, non item Sancti Spiritus, generatio sit, & dicatur, *explicare quis potest?* ajebat Augustinus ad Maximinum Arianum.

215. Aliqua tamen cum D. Th. 1. p. q. 35. a. 2. reddi potest ratio, ex eo, quod Verbum ideo genitum, quia a Patre per intellectum est, adeoque per actionem ad communicandam naturæ similitudinem suapte institutam, quum solius intellectus sit, quidpiam rei, quam intelligit, simile producere. Spiritus vero Sanctus non ideo genitus, quia ejus est a Patre, & a Filio processio per voluntatem, cujus non est assimilare, sed in objectam sibi rem ferri, atque tendere.

216. Præter divinas processiones sunt etiam in divinis statuendæ relationes, quarum illæ fundamentum sunt, & quæ a nulla mentis nostræ conceptione pendent, ut proinde *reales* dici debeant.

217. Licet autem, quæ inter creatas res intercedit relatio, accidens sit;

sit; In divinis tamen est ipsa essentia, & substantia: idque non a sui habet natura, quia scilicet relatio est, sed quia relatio divina est.

218. Hinc relatio creata, quæ accidens est, atque idcirco nequit substantiam constituere, seu personam, distinctionem non efficit, sed supponit. Divinæ vero relationes, non quatenus relationes sunt, sed quatenus divinæ, possunt & personas constituere, & reipsa distinguere.

219. Sunt vero divinæ hæ relationes quatuor tantum, *Paternitas* scilicet, *Filiatio*, *Spiratio activa*, & *Spiratio passiva*, quæ & *processio* dicitur, nec pauciores esse possunt, nec plures.

220. Quoniam vero in divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio: Spiratio autem activa non est Paternitati, ac Filiationi opposita, sed communis Patris, Filiique proprietas: hinc ex quatuor illis relationibus tres tantum dicimus constitui, & distingui Personas.

221. Sunt præterea characteres quidam, & notæ, ex quibus personas divinas internoscimus, & quæ vulgo *Notiones* appellantur. Quinque hæ recensentur, *Innascibilitas*, *Paternitas*, *Filiatio*, *Spiratio activa*, & *Spiratio passiva*.

222. De divinis item personis *Missio* prædicatur. Convenit autem missio divinæ personæ *secundum quod importat ex una parte processionem originis a mittente, & secundum quod importat ex alia parte novum modum existendi in alio*. Idea igitur divinæ missionis non simplex & incompleta est, sed composita.

223. Præpostere igitur missionis ideam sibi efformant, qui imperio consiliove eam fieri intelligunt, quod perfectissimæ divinarum Personarum æqualitati maxime repugnat.

224. Solos hinc Filium, & Spiritum Sanctum mitti intelligimus, non vero Patrem; quare rectissime Augustinus l. 2. de Trinit. c. 5 *Solus Pater non legitur missus, quia solus non habet auctorem, a quo genitus sit, vel a quo procedat*.

225. Ceterum si persona mittens non spectetur ut principium personæ, quæ mittitur; sed ut causa novi effectus, ad quem edendum missio fit, rite, verissimeque dicitur persona missa esse a tota Trinitate, ut docet Angelicus 1. p. q. 43. a. 8.

226. De persona demum Spiritus Sancti aliquid speciatim dicturi, statuimus primo adversus antiquos, novosque Macedonianos, veram eum esse, ac subsistentem personam a Patre, & Filio re distinctam, verumque Deum unius, ejusdemque cum Patre, & Filio naturæ.

227. Adversus Græcos autem Schismaticos toti sumus, ut efficiamus, Spiritum Sanctum non a solo Patre, sed etiam a Filio procedere.

228. Hujusmodi errorem diu ante Photium Constantinopolitanum pseudo-Episcopum apud Græcos invectum, antiqua testantur monumenta. Photio tamen vulgo adscribitur, quod eum pertinacius foverit, & in suorum animum penitus defigere vehementius, omnique arte contenderit.

229. Frustra vero Græci sui in erroris præsidium ad Græcorum Patrum testimonia confugiunt, quos exploratum apud omnes est, pro Ecclesiæ Catholicæ dogmate firmiter stetisse.

230. Ceterum quamvis & a Patre, & a Filio procedat Spirtus Sanctus; dici tamen cum Græcis nonnullis Patribus verissime potest, Patrem esse Spiritus Sancti fontem, & principium; quatenus scilicet Pater totius Divinitatis fons est, & ab eo Filius, & Spiritus Sanctus procedunt, ipse autem a nullo, & quatenus est principium non de principio.

231. Inique igitur, ac temere Græci Latinis crimini vertunt, quod ad Symbolum CP. particulam *Filioque* addiderint ad palam profitendum esse Spiritum Sanctum etiam a Filio.

232. Per hanc enim additionem, seu potius declarationem ejus, quod dudum fuerat in CP. Symbolo implicite definitum, nihil a Latinis peccatum esse adversus Concilii Ephesini sanctionem tuemur. Hujus quippe anathema in eos tantum cadit, qui CP. Symbolo ausi fuerint vel quidquam vere addere, vel quidquam præsertim addere a recta fide CP. Symboli dissonum.

233. Quidquid vero a Leone III. Summo Pontifice hac in re gestum est, numquam efficient Græci, ab eodem Summo Pontifice fuisse absolute improbatum additamentum particulæ *Filioque*; sed improbatum dumtaxat, a singularibus Ecclesiis novum aliquid in communi doctrinæ regula stabiliri, quod a ceterarum Ecclesiarum, Romanæ in primis, disciplina discordaret.

# *De Deo homine facto.*

234. DEI hominis facti mysterium in hoc situm potissimum est, ut credamus, & confiteamur, quia Dominus noster Jesus Christus Dei Filius, Deus, & homo est, Deus ex substantia Patris ante sæcula genitus, homo ex substantia Matris in sæculo natus. Ita auctor Symboli vulgo Athanasiani. Hinc Incarnatio difiniri vulgo solet apud Thelogos: *unio personalis, seu hypostatica naturæ divinæ, ac humanæ in una Verbi Divini persona, ex qua unus est Christus.*

235. Ad hypostaticam hanc unionem demostrandam sola nos revelatio ducit; & idcirco naturalis ratio negativam dumtaxat, ut ajunt, demonstrationem nobis suppeditat.

236. Neque ratio tantum desideratur hujusmodi unionis, cum sit mirabilis; sed etiam cum sit singularis, frustra exemplum poscitur: hinc eæ, quas ad hujusmodi illustrandum, explicandumve mysterium excogitarunt Patres, similitudines, & exempla imperfecta longe sunt, & quam maxime disparata.

237. Ex quibus etiam fit, ut quæ a Gentilibus de eodem mysterio pronunciata novimus, hæc nonnisi per revelationem ii didicerint, vel ex traditione hauserint, aut ex libris Judæorum Sacris.

238. Fuit autem hujus mysterii notitia quovis tempore post peccatum ad salutem necessaria; nec quisquam sine fide, quæ est in Christo Jesu, sive ante Incarnationem, sive postea, reconciliari cum Deo potuit; quum non sit aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri, quam nomen Christi.

239. Non eadem tamen fides ante, & post Christi adventum fuit necessaria. Ante adventum enim Christi mysterium Incarnationis, ait S. Thomas 2. 2. q. 2. a. 8. fuit explicite creditum a Majoribus, implicite autem, & quasi obumbrate a Minoribus. Post Christi vero adventum, *quia jam Mysterium Redemptionis* (in 3. dist. 25.) *impletum est corporaliter, & visibiliter est prædicatum, omnes tenentur ad explicitè credendum; & si aliquis instructorem non haberet, Deus ei revelaret, nisi ex sua culpa remaneret.*

240. Habuit etiam Adam ante peccatum fidem explicitam de Christo secundum quod ordinabatur ad consummationem gloriæ, (S. Thomas 2. 2. q. 2. a. 3.) non secundum quod ordinabatur ad liberationem a peccato per Passionem, & Resurrectionem, *quia homo non fuit præscius peccati.*

241. Jam vero ad Mysterii substantiam progredientes illud primo confiteamur oportet, Jesum Christum Dei Filium esse, & vere Deum: Hujus autem Divinitatis Christi egregium argumentum nobis suppeditant divina nomina, quæ Deo æque, & Christo Sacræ Literæ tribuunt.

242. Idem Catholicæ Ecclesiæ dogma juvat quam maxime caput primum Evangelii Joannis, ex quo aperte colligimus Christum extitisse antequam ex Maria Virgine nasceretur.

243. Quin imo & coæternum esse Christum Patri, ita ut ante omnia sæcula fuerit, & ab omni æternitate, luculenter quoque demonstrat Michææ Vaticinium c. 5., quod de Christo tantummodo accipendum esse, deque propriè dicta æternitate adversus Socinianos defendimus.

244. Ipsa etiam creandi potentia, qua primogenitus efficitur Christus omnis Creaturæ, quia in ipso condita sunt universa in Cœlis, & in Terra, visibilia, & invisibilia, divinam Christi naturam firmissime ostendit.

245. Neque minoris esse momenti contra Arianos tuemur argumentum ex Christi miraculis petitum, ex quo necessario sequitur infinitam ei inesse virtutem, agendique vim, cui universa natura ad nutum obsecundat.

246. Neque enim miracula patrabat Christus extranea sibi virtute, sed propria, sibique naturali, ut ex modo, quo eadem operabatur miracula, apertissime liquet.

247. Id ipsum evincit perfectissima illa, quæ Christo fuit rerum omnium cognitio, ita ut & futura cognoscere, & cordium inspicere arcana, secretasque mentium cogitationes obvium ei fuerit, & naturale.

248. Præcipuum tamen divinitatis Christi argumentum ea nobis exhibent divini eloquii testimonia, in quibus prædicatur Christus Deo Patri perfectissime æqualis, unius, ejusdemque cum Patre potentiæ, & essentiæ, ita ut unum idemque cum eo esse dicatur.

249. Hæc de Christi divinitate Doctrina a Christo ipso Apostolis tradita, & ab Apostolis ad discipulos suos perenni successione traducta constanter viguit in Ecclesiâ; nullique Antenicæni Patres Ariani præluserunt.

250. Omnium loco testes damus Divinitatis Christi locupletissimos S. Ignatium Martyrem, S. Justinum, Athenagoram, S. Irenæum, Tertullianum, Clementem Alexandrinum, Origenem, & Dionysium Alexandrinum.

251. Sapientissime hinc factum esse novimus in Concilio Nicæno I.,

ut solemni decreto Christus Deo Patri definiretur Consubstantialis, dictioque *homousion* adversus Arianos consecraretur.

252. Eamdem *homousion* dictionem in altero Antiocheno Concilio adversus Paulum Samosatenum habito proscriptam fuisse, ac repudiatam, sententia est ab antiquissimis in posteros propagata temporibus; gravibus tamen rationum momentis movemur cum recentioribus nonnullis, ut a clarissimorum virorum opinatione dissentiamus.

253. Demonstrata Christi divinitate, expostulat nunc ratio, ut illius quoque humanam naturam adversus hæreticos adstruamus. Assumpsit itaque Verbum divinum verum corpus, non corporis umbram; fuitque verus homo, non hominis larva.

254. Sumpsit autem corpus ex Matre, ex eaque vere natus est, non vero aliunde formatam carnem atque a coelo advectam per Matris uterum, veluti per fistulam, traduxit.

255. Exigit etiam vera Incarnationis notio, ut veram quoque animam habuerit Christus, eamque mente præditam. Utrumque ergo validissime tuemur; primum quidem contra Arianos nonnullos, & Apollinaristas omnes id primum sentientes; alterum vero contra eosdem Apollinaristas, qui Evangelicis victi testimoniis animam tandem Christo concessere; sed mente vacuam, cujus vices implerentur a Verbo.

256. Quum autem humana mens non intelligendi solum capax sit; sed etiam naturaliter scientiam appetat, ita ut imperfecta sit, nisi hæc ejus capacitas appetitus expleatur; hinc oportuit, ut humana Christi mens creata scientia polleret.

257. Animæ igitur Christi humanæ scientiæ insedit plenitudo, quæ omnino ignorationem abigeret: unde Christo, etiam qua homini, extremi judicii diem, & horam compertam fuisse propugnamus.

258. Retinendam itaque censemus celebrem humanæ Christi scientiæ partitionem in *beatam*, *infusam*, & *acquisitam*, sive *experimentalem*. Scientia *infusa* potuit Christus proficere non secundum ipsos sapientię habitus, sed secundum effectus: quatenus scilicet, iisdem manentibus habitibus in primo conceptionis instanti plenissime infusis, secundum tamen processum ętatis perfectiora ille faciebat opera. Scientia vero *acquisita* sive *experimentalis* vere, ut etiam ętas, in Christo crescebat.

259. Præter unam illam, eamdemque Christi, qua Deus est, & Patris voluntatem, humanam etiam, aliamque a voluntate Patris Christum habuisse, locupletissima ostendunt sacri eloquii testimonia, definivitque apertissime adversus Monothelitas Synodus VI. Œcumenica.

260. Aliam quoque in Christo fuisse operationem, quæ non erat illi communis, & Patri, sed assumptæ naturæ propria, Evangelii auctoritas, & fides locupletissime adeo evincit, ut delirasse judicemus eosdem Monothelitas unam tantum adstruentes in Christo operationem.

261. Jam vero, tribus his substantiis, Deitate nimirum, vera hominis anima, & vero humano corpore convenientibus, non nisi una in Christo fuit Dei, hominisque persona.

262. Quamvis autem sæpe sæpius prædicaverit Nestorius eximiam, divi-

divinam, ac prorsus singularem, & ineffabilem esse unionem humanitatis cum Verbo; eam tamen non secundum personam, ac hypostasim confessum fuisse, sed moralem tantum, ac secundum effectum, ex ejus doctrina luculenter colligimus.

263. Merito hinc in Nestorium tulit sententiam S. Cyrillus in Ephesina Synodo actione prima, quam actionem omni ex parte legitimam esse, & canonicam defendimus adversus recentiores quosdam Calvinianos, qui toti sunt, ut efficiant, Nestorium tamquam Catholicæ fidei doctorem, propugnaculum, & Martyrem habendum; omnia vero Cyrilli acta, & præsertim Nestorii damnationem, non Synodalia fuisse, sed *factiosa* potius, ut vocant, *attentata*.

264. Hypostatica autem unione Verbi divini cum humanitate vindicata, necessario consequitur Mariam Virginem vere Matrem Dei, seu Deiparam dicendam; quam dictionem non S. Leo M., ut nonnulli opinantur, invexit; sed ab ipso Ecclesiæ initio ad nos usque successiva, & numquam interrupta traditione derivatam propugnamus.

265. Docent etiam Sacræ Literæ, quin imo & ipse hominum communis consensus, duas fuisse in Christo impermixtas, & inconfusas naturas, ita ut neque Deitas humanitatem absumpserit, neque in humanitatem conversa fuerit Deitas, neque ex utriusque naturæ mixtione tertia quædam natura coaluerit, quemadmodum delirarunt Eutychiani, Jacobitæ, Thimotheani, ac demum Sociniani.

266. Temere autem, impudenterque Novatorum nonnulli S. Cyrillum Alexandrinum Apollinaristis adjungunt, & veluti Eutychianorum signiferum audent venditare.

267. Eidem Eutychianorum blasphemiæ minime suffragati sunt veteres illi Patres, qui Incarnationis mysterium utriusque naturæ mixturam, & Christum hominem Deo mixtum sæpe dixerunt, quos constat minus proprie usos fuisse vocabulo *mixtionis*, ad indigitandam scilicet summam naturarum unionem.

268. Duæ itaque cum sint in Christo inconfusæ, & impermixtæ naturæ, una vero persona, eam tuemur adversus Nestorium idiomatum comunionem, qua fit, ut quæ Filii hominis, de Filio Dei enuncientur, & e converso.

269. Arctissima hujusmodi unio ne morte quidem Christi potuit dissolvi; hinc tam caro, quam anima morte Domini ab invicem separatæ, & propriam hypostasim non habentes subsistiterunt in persona Filii Dei, non minus quam ante mortem.

270. Quæ veterum Sanctorum Patrum auctoritates separationem Divinitatis in Christi morte videntur innuere, non de solutione unionis personalis intelligenda volumus, sed secundum protectionem, ita ut non adfuerit ad defensionem, non tamen defuerit intus ad unionem. Si enim non ibi cohibuisset potentiam, sed exercuisset, non moreretur Christus.

271. Non alium porro in finem Unigenitus Dei Filius caro factus est, & habitavit in nobis, nisi ut Deo satis pro nobis faceret, ut pœnas peccatis nostris debitas portans ab æterna morte nos liberaret, ut sanguine demum

mum

mum suo veluti persoluto pretio nos a peccati & Diaboli servitute redimeret.

272. Est itaque Christus veri nominis Redemptor, non verbo tantum, & exemplo; verique nominis operatus est Redemptionem, non metaphoricam, ut Sociniani impiissime blasphemarunt.

273. Quin imo Christi satisfactionem non æquivalentem tantummodo fuisse, sed etiam superabundantem, & ad strictos apices juris exactam, ex iis, quas ad satisfactionem hujusmodi requirunt Theologi, conditionibus conficimus.

274. Quamquam vero Christus Redemptorem sese pro Doemonibus non dederit, ut falso judicavit Origenes; pro omnibus tamen indiscriminatim hominibus mortem oppetiit.

275 Quare merito damnata est quinta Jansenii propositio: *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino mortuum esse, aut sanguinem fudisse*.

276. Non eodem tamen modo pro omnibus passus est Christus, & mortuus; sed pro electis, & prædestinatis efficaciter, ut ajunt; pro reliquis vero sufficienter.

277. Hinc a vero alienum dicimus, Christum ad inferos descendentem damnatis prædicasse, eorumque nonnullos ab inferni doloribus ereptos in coelum deduxisse.

278. Quam vero tradidit Augustinus interpretationem perdifficilis Petri loci I. Epist. c. 3. v. 19. *His qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicavit: qui increduli fuerant aliquando &c.* de prędicatione scilicet facta a Christo spiritu divinitatis etiam incredulis tempore Noe, dum in carcere corporis detinebantur; eam cum D. Thoma 3. p. q. 52. art. 2. tamquam meliorem probamus, & amplectimur.

279. Descendisse autem Christum ad inferos secundum animam, corpore in sepulchro manente, tamquam certam, & perpetuam Ecclesię fidem tuemur, illo prę sertim ducti Ps. 15. 10. *Non derelinques animam meam in inferno* &c.

280. Non ergo antea excitatus fuit Christus a mortuis, & revocatus ad vitam, quam in subterraneam illam mortuorum sedem, ac regionem descenderet, quemadmodum commentus est presertim Buddęus, qui proinde intulit Dei Filium non sola anima, sed etiam corpore Inferos adiisse.

281. Quamvis autem articulus ille, *descendit ad Inferos*, non extiterit olim in ea formula, qua utebatur Ecclesia Romana; sicut neque in illa qua prioribus sæculis usæ frequentius sunt Orientales Ecclesiæ; vis tamen verbi eadem videtur in eo, quod *sepultus* dicitur, ajente Rufino Aquilejensi.

282. Quo vero tempore, quave de causa Articulus iste insertus fuit, definiri tuto non potest. Unum tamen est, quod pro certo habemus, desipuisse scilicet Carolum Drelincurtium audacter asseverantem, sub finem tantum sæculi IV. professioni fidei peculiaris Ecclesiæ hunc articulum intrusum fuisse, nec in aliqua alia, quæ præcesserit, ullam penitus de illo fieri mentionem.

283. Quid autem horribilius, quid absurdius Calvini, & Luteri errore, & blasphemia docentium Christi animam vere ad loca damnandis nocentibus destinata pervenisse, & ibi peccatorum nostrorum poenas tulisse, ut plena ipsius pro nobis esset satisfactio?

284.

284. Nec melius apud nos audiunt Heterodoxi ceteri, qui articulum hunc de descensu Christi in sepulchrum interpretantur vel de virtute, & efficacia mortis Christi applicata hominibus, ut Bullingerus; vel de obedientia Christi usque ad mortem, & integræ humiliationis suæ statu, ut Sohnius; vel de humiliatione Christi usque ad mortuorum statum, ut Bochartus; vel de triduana demum potestate mortis in Christum, sive de statu animæ Christi in morte per tres dies, ut Joannes Vossius.

## *De Primo Homine, ejusque lapsu.*

285. CUM Moses veracissimus Historicus plana, simplicique narratione Adamum nobis describat tanquam mortalium omnium primum, ridendus potius, quam refellendus videtur Isaacus Peirerius alios Adamo priores homines comminiscens.

286. Factus est autem primus homo ad imaginem Dei, quam cum Angelico Præceptore 1. p. q. 93. art. 4. *secundum intellectualem naturam* eidem inesse dicimus, quatenus nimirum, *intellectualis natura Deum maxime imitari potest ... quantum ad hoc, quod Deus seipsum intelligit, & amat.*

287. Homo ergo secundum hanc imaginem, quam *creationis* dicimus, & quam ab imagine *recreationis*, & *similitudinis* secernimus, habet *aptitudinem naturalem* (ibidem) *ad intelligendum, & amandum Deum, & hæc aptitudo consistit in ipsa natura mentis, quæ est communis omnibus hominibus.*

288. *Tam in viro, quam in muliere* (ibi) *invenitur Dei imago, quantum ad id, in quo principaliter ratio imaginis consistit, scilicet quantum ad intellectualem naturam .... Sed quantum ad aliquid secundarium imago Dei invenitur in homine, secundum quod non invenitur in muliere: nam vir est principium mulieris, & finis, sicut Deus est principium, & finis totius creaturæ.*

289. Hinc quæ Sacrarum Scripturarum testimonia ab impiis, & reprobis Dei imaginem videntur removere, de imagine sunt intelligenda *gratiæ, & gloriæ*, seu *recreationis, & similitudinis*, non *naturæ*, seu *creationis*.

290. *Quoniam vero esse ad imaginem Dei secundum imitationem Divinæ naturæ* (ibid. art. 5.) *non excludit hoc, quod est esse ad imaginem Dei, secundum repræsentationem trium personarum, sed magis unum ad alterum sequitur; Sic igitur dicendum est, in homine esse imaginem Dei, & quantum ad divinam naturam, & quantum ad Trinitatem personarum. Nam & in ipso Deo in tribus personis una existit natura.*

291. Numquid & in hominis corpore est Dei imago? Somniarunt id quidem Hæretici nonnulli, Antropomorphitæ præsertim in corpore Dei imaginem constituentes, quod Deum ipsum corporeum crederent, figura, & lineamentis humanis distinctum. Pinguissimum tamen hujusmodi errorem nos alibi refutavimus.

292. Ceterum *quamvis imago Dei in homine non accipiatur secundum figuram corpoream* (ibid. art. 6.); *tamen quia corpus hominis solum inter terrenorum animalium corpora non pronum in alvum prostratum est, sed tale est, ut ad con-*

*templandum cœlum sit aptius, magis in hoc ad imaginem, & similitudinem Dei, quam cetera corpora animalium factum jure videri potest... Quod tamen non est sic intelligendum, quasi in corpore hominis sit imago Dei, sed quia ipsa figura humani corporis repræsentat imaginem Dei in anima per modum vestigii.*

293. Prçter imaginem Dei fuit etiam Divina in primo homine similitudo. *Hæc ad amorem virtutis pertinet, & ad habitus consequentes, scilicet innocentiam, & justitiam*, ut post SS. PP. docet Angelicus in 2. dist. 16. a. 4.

294. Conditionem primi hominis quantum ad intellectum spectantibus occurrit primo scientia. *Primus enim homo sic institutus est a Deo* (1. p. q. 94.a.3.), *ut haberet omnium scientiam, in quibus homo natus est instrui. Et hæc sunt omnia illa, quæ virtualiter existunt in primis principiis per se notis, quæcumque scilicet naturaliter homines cognoscere possunt.*

295. *De Supernaturalibus etiam* ( ibid. ) *tantam cognitionem accepit, quanta erat necessaria ad gubernationem vitæ humanæ secundum statum illum. Alia verò quæ nec naturali hominis studio cognosci possunt, nec sunt necessaria ad gubernationem vitæ humanæ, primus homo non cognovit: sicuti sunt cogitationes hominum, futura contingentia, & quædam singularia &c.*

296. Prçcipua tamen cumulatissimç hujus scientiç perfectio erat immunitas ab errore, & deceptione: *non enim poterat esse* (ibidem) *quod innocentia manente intellectus hominis alicui falso acquiesceret, quasi vero.*

297. Hinc *seductio illa mulieris* ( ibid. ad 1. ) *Etsi præcesserit peccatum operis, subsecuta tamen est peccatum internæ elationis.* Ajente quippè Aug. lib. 11. de Gen. ad litteram: *Mulier verbo serpentis non crederet, nisi jam inesset menti ejus amor propriæ potestatis, & quædam de se superba præsumptio.*

298. Quamvis autem *omne peccatum ex errore sit*; quoniam tamen hujusmodi error est error electionis, qui posterior est pravitate appetitus: hinc non est peccati origo, sed consectarium, *nec præexigit ignorantiam* ( ibid. q. 63. ar. 1.), *sed absentiam solum considerationis eorum, quæ considerari debent.*

299. Ad voluntatem primi hominis quod attinet, prima illius, quæ occurrit perfectio, est gratia *Sanctificans*, seù *gratum faciens*, qua præditum revera fuisse Adamum, communis ferè est PP., atque Theologorum sententia.

300. Quoniam verò nec Scriptura tradit, nec definiunt PP., an eam acceperit Adam ipso suæ creationis momento una cum natura, vel postmodum eidem fuerit collata, antequam peccaret; hinc neminem teneri existimamus ad confitendum Adamum fuisse in gratia creatum.

301. Falso igitur, nimisque fidenter asseruit Jansenius Iprensis, dogma fidei esse, Adamum in gratia fuisse conditum, nec id jam posse in controversiam absque Fidei injuria vocari.

302. Hujusmodi autem gratiæ adscribi debet integritas illa, seù *justitia, & originalis rectitudo*, qua Adam fuit ab initio præditus. *Erat autem rectitudo secundum hoc* ( Angel. 1. p. q. 95. a. 1. ) *quod ratio subdebatur Deo, rationi verò inferiores vires, & animæ corpus. Prima autem Subjectio erat causa secundæ, & tertiæ.*

303. Jam verò *illa subjectio corporis ad animam, & inferiorum virium* ac

*ad rationem non erat naturalis* ( ibid.); *alioquin post peccatum mansisset ... Hinc & prima illa subjectio, qua ratio Deo subdebatur non erat solum secundum naturam, sed secundum supernaturale donum gratiæ.*

304. A vero igitur immaniter aberravit Michael Bajus autumans, dona hujusmodi non solius Dei beneficio, sed naturæ debito esse tribuenda, ac proindè fuisse naturalia.

305. Atque hinc merito confixæ a SS. Pontificibus fuerunt, quæ sequuntur propositiones: 21. *Humanæ naturæ sublimatio, & exaltatio in consortium Divinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis, & proindè naturalis dicenda, non supernaturalis*: 23. *Absurda est eorum sententia, qui dicunt, hominem ab initio dono quodam supernaturali, & gratuito supra conditionem naturæ suæ fuisse exaltatum, ut fide, spe, & charitate Deum supernaturaliter coleret.* 24. *A vanis, & otiosis hominibus secundum insipientiam philosophorum excogitata est sententia, quæ ad Pelagianismum reiicienda est, hominem abinitio sic constitutum, ut per dona naturæ superaddita fuerit largitate conditoris sublimatus, & in Dei Filium adoptatus*: 26: *Integritas primæ conditionis non fuit indebita naturæ humanæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio.*

306. Hujusmodi tamen primi hominis integritas non excludebat ab Adamo passiones quaslibet, & animi commotiones, sed eas tantummodo, *quæ vel ordinatæ sunt ad malum, ut timor, & dolor* (ibid. a.2.), *vel respiciunt bonum non habitum, & nunc habendum, ut cupiditas æstuans, vel sunt in nobis prævenientes judicium rationis, & impedientes. Illæ verò passiones, quæ possunt esse boni præsentis, ut gaudium, & amor, vel quæ sunt futuri boni suo tempore habendi, ut desiderium, & spes non affligens, fuerunt in statu innocentiæ; aliter tamen, quam in nobis: erant enim ex rationis judicio.*

307. Habuit præterea Adam supernaturale auxilium, seù gratiam actualem ad perseverandum in justitia. Hoc enim adiutorium, egregiè observat Aug. de Corrept., & gratia cap. 11. *si vel Angelo, vel Homini cum primum facti sunt defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sine Divino adjutorio posset manere, si vellent, non utique sua culpa cecidissent.*

308. Quarè meritò damnata est 78. Baii propositio: *Immortalitas primi hominis non erat beneficium gratiæ, sed naturalis conditio.*

309. Quod autem commenti sunt nonnulli apud Aug. lib. 6. de Genesi ad litteram cap. 20. nempe, *prius hominem fuisse corporis animalis, sed dum in Paradiso constitutus est, eum mutatum fuisse, sicut nos quoque resurrectione mutabimur*, tanquam inane, & gratis positum reiicimus.

310. Quod vero cibis Adam indiguerit, id minimè detrahit immortalitatis dono; sed argumento tantummodo est, *quod immortalitas primi status erat secundum vim quamdam supernaturalem in anima residentem, non autem secundum aliquam dispositionem corpori inhærentem*, ut docet Ang. ibid. q. 97. art. 3.

311. Nunc ad primorum parentum culpam sermonem convertentes, exteriorem ejusdem culpæ eam fuisse dicimus causam, quam Moises aperta simplicique oratione Gen. 3. nobis exhibuit, Diaboli nempè per serpentem tentationem.

312. Quarè tanquam commentum rejicimus eorum opinationem, qui narrationem Mosaicam allegoricè, & mysticè intelligendam volunt, ita nimirum ut neque vero serpente Diabolum usum esse contendant, nec vera & auribus excipienda colloquia cum Eva miscuisse; sed serpentis nomine Diabolum ipsum venire, dictasque allocutiones nonnisi interiores fuisse vaferrimi hostis insinuationes.

313. In hac illorum culpa plures fuerunt, ut ajunt Theologi, deformitates, unoque actu multis modis ab eis peccatum est. Eva quidem *infedelitatis, inobedientiæ, gulæ, scandali, pertinaciæ, ac inordinati sui ipsius amoris* rea agitur: Adæ vero præter *gulæ, inobedientiæ, ac pertinaciæ* vitia, nimius etiam uxoris amor crimini datur.

314. Quodnam vero primum fuerit Adæ, atque Evæ peccatum, ceterorum veluti origo, atque radix, incertum est, controversumque. Nobis tamen eorum maxime arridet sententia, qui utrumque animi elatione primum peccasse arbitrantur.

315. Quoniam verò *prima pars superbiæ consistit in hoc* (Ang. lect. 5. in cap. 5. Ep. ad Rom.) *quod homo non vult subiici Divinis præceptis, quod ad inobedientiam pertinet*; hinc primum *hominis peccatum videtur fuisse inobedientia, non secundum actum exteriorem, sed secundum interiorem superbiæ motum, quo voluit Divino præcepto contraire*.

316. Subducta per peccatum primorum hominum voluntate a subjectione Divina, *consequens fuit* (inquit Ang. opusc. 2. c. 192.) *ut deperiret illa perfecta subjectio inferiorum virium ad rationem, & corporis ad animam. Unde consecutum est, ut homo sentiret in inferiori appetitu sensibili concupiscentiæ, iræ, & ceterarum passionum inordinatos motus, non secundum ordinem rationis, sed magis ei repugnantes, & eam plerumque obnubilantes, & quasi perturbantes*. Concupiscentia ergo est pœna peccati.

317. Ingeniose autem magis, quam verè Scriptum est ab Auctore librorum Hypognosticon lib. 4. cap. 1. *libidinem hominis e serpentis afflatu natam esse*, ducto argumento ab iis, qui sibilo, flatuque serpentum inficiuntur aliquando, & usque ad interitum urgentur.

318. Altera peccati pœna fuit ignorantia: abundantibus siquidem in appetitu inferiori inordinatis motibus passionum, simul etiam in ratione defuit lumen Sapientiç, quo Divinitus illustrabatur voluntas, dum erat Deo subjecta.

319. Tertio *consecutum est* (ibid. c. 193.) *ut in corpore sentiretur corruptionis defectus, ac per hoc homo incurreret necessitatem moriendi, quasi anima jam non valente corpus in perpetuum continere vitam ei præbendo. Unde homo est passibilis, & mortalis, non solum quasi potens pati, & mori, ut anteà, sed quasi necessitatem habens ad patiendum, & moriendum*.

320. Numquid inter originalis labis effectus recensenda est liberi arbitrii sive ad bonum sive ad malum jactura, ita ut, *Liberum arbitrium post peccatum res sit de solo titulo, figmentum in rebus, & titulus sine re*? Ita quidem blasphemavit Calvinus, quo errore nihil perniciosius, nihilque Divinis litteris magis contrarium.

321. Quoniam verò homini lapso non est facultas *recuperandæ gratiæ*, ne-

*neque ad eam se disponendi*, nisi adjuvante Deo; hinc liberum arbitrium fuisse per Adæ culpam amissum aliquo nomine dici potest, nimirum: *Libertas quidem*, inquit Aug. l. 1. cont. duas Epist. Relegian. *periit per peccatum, sed illa, quæ in Paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate justitiam*.

322. Ita quamvis Dei in homine imago non usque adeo detrita remanserit, ut nulla ejus superfuerint lineamenta; tam deformis tamen per peccatum effecta est, ajente Aug.l.2.retract.c. 24., *ut reformationis opus haberet*.

323. Neque sibi soli nocuit Adam sua prævaricatione, sed etiam suæ propagini, ita ut definiente Conc.Trid. sess.5.acceptam a Deo sanctitatem, & justitiam, quam perdidit, non sibi soli, sed etiam nobis perdiderit, & inquinatus ille per inobedientiæ peccatum mortem, & pœnas corporis non tantum in omne genus humanum transfuderit, sed etiam peccatum, quod est mors animæ.

324. Dogma hoc Catholicum efficiunt evidentissimè utriusque testamenti loca plurima, præsertim verò illud Roman.5. 12.*Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ità in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt*.

325. Ad Divini eloquii testimonia accedit concors, & invariata ab ipso Apostolorum ævo traditio a priscis PP. religiosissimè custodita, & ad nos usque traducta, ut proindè mirari satis nequeamus, imprudentiores quosdam e Pelagianis accusasse Augustinum quasi originale peccatum finxerit, tum etiam Lutheri impudentiam ajentis, nullum PP. ante Augustinum originalis peccati fecisse mentionem.

326. Non diffitemur tamen aliquos ex veteribus PP., Chrysostomum præsertim, minus clarè hac de re aliquando locutos fuisse. At præsto inter cętera est illud Augustini: *Cur putamus, nisi quia disputans in Ecclesia Catholica, non aliter se intelligi arbitrabatur? tali quæstione non pulsabatur: vobis nondum litigantibus, securius loquebatur*.

327. Gravissima sunt etiam rationum momenta, quę desumuntur vel ex antiquissima constantique Ecclesię praxi infantulos, maxime si periculum mortis immineat, Baptismo tingendi: vel ex Redemptionis beneficio non pro adultis tantum, sed etiam pro infantibus; vel demum ex humanę vitę miseriis, ac innumeris pene calamitatibus: *quum justissimus Deus*, ut habet Augus. lib. 3. op. imp. cont. Jul. c.49. *pœnas immeritas nec insligat alicui, nec infligi sinat; nec dici possit ad exercendam virtutem parvuli, quæ ad huc in eo nulla est, hæc eum mala perpeti*.

328. Quo postremo argumenti genere sępissimè usus est Aug. non disputationis æstu, & fervore percitus, non per excessum loquens, non demum odio hęresis Pelagianę ad contrarium extremum declinans; sed sciens, prudens, & ex animo.

329. Quomodo originalis hęc labes perpetua generationum serie ab Adamo transferatur explicaturi Theologi, varios excogitarunt modos: quoniam verò non itâ intellectui faciunt satis, quin pluribus, gravibusq; difficultatibus locum relinquant; hinc illud fateri pręstat cum Aug. *nihil esse ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum secretius*.

330. Errant certe qui modum explicaturi quo humanum genus primi

 paren-

parentis labem contrahat pro fundamento ponunt, omnes & singulos homines quantum ad animam creatos fuisse in Adamo.

331. Hinc merito damnatus est Origenes, in ejusque damnatione prętocatum etiam intelligimus systema Du-Vigerii, Leibnitii & Wolfii, animas omnes & corpora in Adamo creata fuisse existimantium.

332. Quamvis de originarię noxę natura, atque indole tam varię sint pugnantesque Theologorum sententię, ut cadendum quodammodo sit animo; nihilo tamen minus tanquam probabiliorem eligimus sententiam Angelici statuentis, originale peccatum *formaliter* esse originalis justitię privationem, *materialiter* vero concupiscentiam.

333. Illud autem pro certo statuimus adversus Matthiam Flaccum Illyricum, originalis peccati naturam non esse malam quamdam, perversamque substantiam.

334. Neque etiam ullo modo damus Luthero, ejusdem originarię noxę naturam in concupiscentia ipsa, seu in peccati fomite collocandam esse. Quid enim hoc errore detestabilius, quo & baptismi virtus evertitur, & bonorum operum meritum exterminatur?

335. Et quoniam Novatorum conatus eo maximè spectant, ut Aug. hac in sententia sibi pręivisse efficiant; nostrum idcircò esse putamus luculentissimè evincere, de Augustini sententia concupiscentiam neque ullo modo esse, neque appellari peccatum nisi per metonymiam.

336. A Pelagianorum item errore verbis dumtaxat discrepare nobis videntur, re autem ipsa convenire, qui originale peccatum in *reatu pænæ*, seu *in obligatione ad subeundam pœnam* constituunt: *Divinæ quippe justitiæ manifesto repugnat*, ait S.Tho. 2. sent. dist. 30. q. 1. a. 2., *ut aliquis obligetur ad pœnam, qui culpa caret, quum pœna justè non debeatur, nisi culpæ*.

337. Superest demum ut de poenis peccato originali in altera vita debitis differamus. Ac primum fide certum est, parvulos sine regenerationis lavacro decedentes, sivè infidelium sint filii, sive fidelium exulare perpetuo à Coelorum regno.

338. Quum verò *perire a regno Dei*, utar Aug. verbis Enchirid. c. 112., *exulare a civitate Dei, alienari a Vita Dei, carere tam magna multitudine dulcedinis Dei ...... tam grandis est pœna, ut ei nulla possint tormenta, quæ novimus, comparari*; Hinc nullum eisdem superesse dicimus beatitudinis sivè supernaturalis, sivè naturalis locum.

339. Ex quo fit, ut tanquam Pelagianorum commentum reiiciamus medium illum felicitatis statum a Pelagianis promissum, quem in naturali tantum quadam tranquillitate collocasse probabilius defendimus.

340. Quemadmodum & tanquam meram sine ullo fundamento divinationem amandamus eorum placitum, qui post judicii diem parvulos hujusmodi futuros supra terræ superficiem censent visitandos ab Angelis, recreandos &c.

341. Illud præterea cum Angelico statuimus, infantes hujusmodi ad universale judicium una cum reprobis, & electis esse sistendos.

342. Neque id tantum, ut gloriam intueantur Judicis, sed ut de judicandorum numero sint.

343. Quod

343. Quod judicium consequetur æterna damnatio, seu mortis æternæ sententia.

344. Eamdemque & subibunt poenam infantes illi, quorum parentes assiduè orant, & in votis habent, ut baptizentur, si fortè morituri sunt prius quam ad baptismum fluminis pervenire valeant.

345. De primo tandem homine propugnandum superest, æternam consecutum esse salutem; qua de re, ut sua ætate monuit Augustinus epist. ad Evodium cap. 3. *Ecclesia fere tota consentit*.

# *De Gratia Christi.*

346. ORiginariæ labis reatu, & hæreditario, & proprio universa hominum natura foedata, tum etiam laborantibus nobis, ac periclitantibus eo in certamine, in quo caro adversus spiritum concupiscit, opus maximè nobis fuit Divina virtute ad pugnandum, vincendumque.

347. Collata hæc primum nobis est per adjutorium *sine quo*, sive inefficax, sivè merè sufficiens, quod definimus cum Angelico lectione 2. in cap. 3. ad Ephesios: *virtutem, & gratiam, per quam efficitur homo potens, & aptus ad operandum*; seu ut ajunt Scholæ: *auxilium, quod ita tribuit homini posse agere, ut tamen eidem ex parte Dei alio opus sit ad actu agendum*.

348. Huic humana Voluntas pravo libertatis usu potest, & revera aliquando resistit, ut apertissima evincunt Sacrarum Scripturarum testimonia.

349. Quibus accedit luculentissima Patrum Traditio, & Augustini maximè consensus palam asserentis adjutorium *sine quo non* in hoc etiam naturæ lapsæ statu hominibus concedi.

350 Quare Augustini doctrina abusum fuisse propugnamus Jansenium secundo suo illo articulo: *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ numquam resistitur*: quem tamquam hæreticum damnavit Apostolica Sedes.

351. Quo etiam æquo Judicio meritò animadversum est in alteram partem tertii ejusdem Articuli, in quo de Semipelagianis ita ille definivit: *In hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare*.

352. Et quamvis sufficientis gratiæ vocabulum suis passim Jansenistæ Scriptis inseruerint, illudque Thomistarum sensù à sè usurpari profiteantur; tum etiam meminerint non raro gratiæ cujusdam parvæ, & effectù destitutæ, dissensus Voluntatis &c.; exploratum tamen nobis est, eos à Thomistarum doctrina toto coelo aberrare.

353. Quæ enim manat ex sufficienti Thomistarum gratia rectè agendi potentia, non modo absoluta est, ut volunt Jansenistæ, sed & relativa, ita ut in linea potentię, & in actù, ut ajunt, primo nihil homini prorsus desit. Quo sensù, potentiam hanc, si completam dixeris, non repugnabo.

354. Per hanc igitur possibilia verè fiunt Dei mandata: cumque & Sa-

Sacrę litterę, & Ecclesię decreta, & Patrum Traditio doceant, Deum non deserere Opus suum, ut ait Augustinus, si ab Opere suo non deseratur; hinc tamquam temerarium, impium, blasphemum, anathemate damnatum, & hęreticum longe amandamus Jansenii articulum: *Aliqua Dei praecepta hominibus Justis volentibus, & conantibus secundum praesentes, quas habent, vires sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.*

355. Eidemque notae subjicimus Baii articulum quinquagesimum quartum. *Definita haec Sententia, Deum homini nihil impossibile praecepisse, falsò tribuitur Augustino, cum Pelagii sit.*

356. Meritò etiam Alexander VIII. solemni Decreto confixit hanc inter caeteras Propositionem: *Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis est, quam perniciosa, sic ut proindè meritò possimus asserere: A' gratia sufficiente libera nos Domine.*

357. Quî enim pronunciari haec possunt de adjutorio, quod pias in mente cogitationes, sanctaque, imperfecta licet, boni desideria in corde excitat, veraque voluntatem instruit non peccandi, legemque implendi pollentia? De Adjutorio demum, quod Deus tribuens in eo offert efficax; sed quia homo resistit sufficienti, privatur efficaci, quod sibi offerebatur?

358. Ad hujusmodi adjutorium nullus est pius naturae conatus, nullus rectus voluntatis affectus in fidem suscipiendam, nullum denique desiderium, studiumque recuperandae salutis praecedens, & natura ipsa inspiratum praeparans hominem, ac disponens. Atque idcirco dicendum cum Augustino libro de Dono Perseverantiae Cap. 12. *gratiam non dari nisi secundum placitum Voluntatis Dei... qui hominibus dat, quibus vult, quoniam misericors est... & quibus non vult, non dat... & non omnibus dando, quid omnes mererentur, ostendit.*

359. Hinc in Palestina Synodo adversus Pelagium meritò definitum fuisse novimus de gratia tum formaliter justificante, cum ad Justificationem disponente, eam non dari secundum merita nostra, seu non esse debitam operibus naturalibus.

360. Quod dictum est de merito de condigno, dictum & volumus de merito de congruo; ratum enim habemus, naturalibus operibus nullam prorsus vim meriti cujuscumque inesse ad supernaturalia obtinenda beneficia, ac proinde nihil illis moveri Deum ad ea conferenda.

361. Neque illam probamus positivam, quam vocant dispositionem, qua tantummodo aptari volunt subjectum, ut si Deus conferre velit auxilia, illa non respuat.

362. Qui verò ad negativam, ut ajunt, confugiunt dispositionem in eo sitam, quod minora committentes peccata non adeo sumus obdurati, & excoecati, ut Deo Vocanti resistamus, hi ad rem confugiunt, cujus rationem non habere Deum in suorum donorum dispensatione apertissimis docuit exemplis Augustinus.

363. Nulli etiam fundamento satis apto superstruitur lex illa ab aliquibus excogitata, promissio, aut pactum cum Christo Jesu à Deo initum de concedendis supernaturalibus auxiliis bene utenti ex se lumine naturali.

364. Qua-

364. Quare fit, ut Theologicum Axioma antiquissimum illud, atque ex Patribus derivatum: *Facienti quod in sè est, Deus non denegat gratiam*: accipiendum propugnemus de faciente cum adjutorio gratiæ moventis, & operantis, deque uberiori gratia, fide perfecta, Justificatione &c.

365. Præter hujusmodi auxilium potentiam bene agendi conferens aliud requiritur ex parte Dei, quod applicet, ac determinet illam potentiam: Et quoniam hoc est à gratia efficaci, seu ab adjutorio *quo*, quod etiam medicinale dicitur, hinc admittendam demonstramus præter gratiam sufficientem etiam efficacem.

366. Hæc, quam passim Augustinus Spiritus Sancti occultissimam gratiam appellat, internam, occultam, mirabilem Dei potestatem, Omnipotentissimam, efficacissimam Voluntatem, & Vocationem &c. non pendet à libero consensu, & cooperatione arbitrii nostri, neque idcirco in nostra libera potestate est, vel illud efficax reddere consentiendo, vel inefficax continendo consensum, & cooperationem nostram, aut etiam eliciendo contrarium consensum.

367. Iisdemque gravissimis momentis probamus, medicinale hoc auxilium non ex eo efficax esse dicendum, quod detur homini illo tempore, & modo, quo prævidit Deus sua Sapientia illum Vocationi consensurum.

368. Sed efficax est per sè, & ab intrinseco, hoc est ex reali, & intrinseca Virtute, quam habet à solo Deo antecedenter ad liberam cooperationem arbitrii etiam præcognitam per Scientiam, quam vocant Mediam.

369. Hæc ea gratia est, qua *tollitur duritia Cordis, quæ à nullo duro Corde respuitur, qua indeclinabiliter, & insuperabiliter homo agitur, qua fit, ut invictissime quod bonum est, homines velint, & illud deserere invictissime nolint*, aliaque id genus plura apud Augustinum familiarissima.

370. Quamvis autem Humana Voluntas efficaci gratia à Deo excitata nunquam actu dissentire velit, vel reipsa dissentiat, potest tamen dissentire, vel dissentire velle. Quam in rem egregiè quadrat vulgaris Thomistarum distinctio *Sensus Divisi, & Compositi*.

371. Quam distinctionem adiuventam fuisse post Tridentini tempora ignoramque hactenus, & inauditam, recentioribusque Thomistis dumtaxat perviam inscitè scripserunt nonnulli, quos, ne aut Hugonem à S. Victore, aut Sententiarum Magistrum recenseamus, apertissime redarguit San: Thomas pluribus in locis, sed totidem præsertim Verbis quæst. 6. de Veritate art. 4. ad 8. *Hæc propositio Deus potest non prædestinatum prædestinare, vel prædestinatum non prædestinare, in Sensu Composito est falsa, in diviso vera. Et ideo omnes illæ loquutiones quæ sensum compositum implicant, sunt falsæ simpliciter*.

372. Hinc apparet Calvinianorum distinctionem *Sensus Compositi*, hoc est posita excitante gratia, atque movente, & *Sensus Divisi*, hoc est eadem amota, nonnisi per summam injuriam D. Thomæ discipulis adscribi posse.

373. Gratia itaque suaptè natura efficax facit quidem ut faciamus; non tamen ita, ut Liberum hominis arbitrium a Deo motum, ac excitatum nihil prorsus cooperetur assentiendo Deo excitanti, & vocanti, & veluti inani-

inanime quoddam nihil omninò agat, mereque passivè se habeat. Hanc porrò Novatorum blasphemiam iisdem expressam verbis Concilium Tridentinum anathemate confixit.

374. Quamobrem & illud hæreticorum consectarium execramur, hoc nempè esse discriminis inter medicinalem gratiam, & gratiam sanitatis, quod huic dissentiri possit, illi vero assentiri sit necessè.

375. Tantum abest autem Concilium Tridentinum gratiæ per sè efficaci aliquomodo repugnare; quinimmo ex eo argumenta depromimus ad hanc magis, magisque firmandam, evertendam verò Molinistarum Sententiam.

376. Ad necessitatem quod attinet hujus adjutorii compertum est ex gratiæ medicinalis notione, eam necessariam esse ad duo illa humanæ naturæ vulnera sananda, quæ potissimum recenset Augustinus, *ignorantiam* scilicet, & *difficultatem, quam patitur omnis homo ab exordio Nativitatis suæ*.

377. Non est tamen necessarium ullum Divinæ gratiæ supernaturale auxilium ad Veritates aliquas naturalis ordinis sive speculativas, sive practicas assequendas; sed quidquid veri prius cogitando, ratiocinandoque assequitur mens nostra, *tribuendum est lumini Veritatis, à quo vel tenuiter pro sui capacitate illustratur, ut verum aliquod in ratiocinando sentiat*.

378. Eodem rationis lumine imminuto quidem per peccatum, non tamen extincto, & cum solo Dei moventis auxilio potest homo aliquam notitiam legis naturalis, & nonnullarum Veritatum moralium, sive practicarum sibi vindicare. Harum tamen omnium collectionem assequi nullo modo poterit, neque practicum, certumque Judicium semper ferre de eo quod faciendum est, vel vitandum, nisi speciale Dei auxilium ei præsto sit.

379. Ita ajente Angelico prima secundæ quæst. 109. art. 2. *Quia natura humana per peccatum non est totaliter corrupta, ut scilicet toto bono naturæ privetur, potest quidem etiam in statu naturæ corruptæ per virtutem suæ naturæ aliquod bonum particulare agere .... non tamen totum bonum sibi connaturale ita, quod in nullo deficiat*.

380. Hinc merito damnata est tamquam falsa Baii Propositio num. 27. *Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valet*.

381. Quoniam vero non desunt & Doctrina, & Religione gravissimi viri necessitatem gratiæ defendentes ad omne opus bonum morale tum ex objecto, cum ex fine, seù tum quoad substantiam, cum quoad modum, ideo propter acre nimis hujusce sententiæ Judicium à Bajo prolatum explodendos judicamus & duos illos ejusdem articulos num. 37. *Cum Pelagio sentit, qui bonum aliquod naturale, hoc est quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit*: & num. 65. *Nonnisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus, & gratiæ Christi injuriam facit, qui ita sentit, & docet*.

382. Neque commentitia est, utilis imo, & necessaria illa Theologorum distinctio inter substantiam actus, & modum ejusdem, contra quam impetum fecit Bajus a Summis tamen Pontificibus repressus damnatis illius articulis

ticulis 61. *Celebris Doctorum distinctio, divinæ Legis mandata bifariam impleri, altero modo quantum ad præceptorum operum substantiam tantum, altero quantum ad certum quemdam modum, videlicet secundum quem valeant perducere ad Regnum æternum, hoc est ad modum meritorium, commentitia est, & explodenda* : & 62. *Illa quoque distinctio, quâ opus dicitur bifariam bonum, vel quia ex objecto, & omnibus circumstantiis rectum est, & bonum, quod moraliter bonum appellari consuevit, vel quia est meritorium Regni æterni, eo quod sit à vivo Christi membro per Spiritum Charitatis, rejicienda putatur*.

383. Quam autem defendimus necessariam ut plurimum gratiam ad opus bonum morale naturalis ordinis, non eam esse volumus gratiam fidei, sed quam vulgo collocamus in illustratione intellectus, & motione voluntatis, ac proindè improbamus quam quod maximè illum Baij articulum 25. *Omnia infidelium opera sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia*.

384. Neque in hoc ab Augustini sententia recedimus, ut opponunt Jansenistæ: quinimmo Sanctissimi hujus Doctoris auctoritate Catholicum Dogma potissimum illustramus, conficimus, firmamus.

385. Per solas etiam naturæ vires Deum cognitum ut auctorem naturæ possumus aliquatenus laudare, diligere, & gratias illi agere, non tamen sicut oportet, hoc est, non eo voluntatis affectu, quo ad veram Justitiam appropinquemus.

386. Necesse proinde nobis est, ut duplex distinguamus amoris genus, naturalis scilicet, & gratuiti: quam distinctionem cum reprobaret Bajus merito fuere damnati ejus articuli 34. *Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut auctor naturæ, & gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator, vana est, & commentitia, & ad illudendum sacris litteris, & plurimis veterum testimoniis excogitata*: & 36. *Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex sola Philosophia per elationem præsumptionis humanæ cum injuria Crucis Christi defenditur à nonnullis Doctoribus*: & 38. *Omnis amor Creaturæ rationalis aut vitiosa est Cupiditas, qua mundus diligitur, quæ à Joanne probibetur, aut laudabilis illa Charitas, qua per Spiritum Sanctum in Corde diffusa Deus amatur*.

387. Speciali gratiæ adjutorio opus non solum est, ut credendi actus supra naturam sit, & qualis ad salutem oportet, sed etiam ut certus sit, & ex *parte Credentis* immobilis, & in Fidei veritates, quia sunt revelatæ, feratur. *In hæretico* quippe *discredente unum articulum* (ait Angelicus 2. 2. q. 5. a. 3.) *non manet fides, neque formata, neque informis; neque habet ille fidem de aliis articulis, sed opinionem quamdam secundum propriam Voluntatem.*

388. Neque tantum actus fidei est ex gratia intellectum illustrante, & excitante voluntatem, sed etiam prima cogitatio, & primus affectus, seù desiderium credendi, quod fidei initium vulgò dicitur, ut contra Semipelagianos definivit Arausicana II. Synodus.

389. Hinc tamquam falsa merito proscripta est quarta illa Jansenii Propositio: *Semipelagiani admittebant gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei*. Siquidem pluribus constat, ad hoc gratiam Voluntatis nequaquam eos admisisse.

390. Hunc Semipelagianorum errorem, antequam opera Massiliensium in Dei Ecclesia serperet, præfocavit Chrisostomus, licet non ita accuratè apertissimeque quemadmodum exorta subinde hæresi præstiterunt alii, & Augustinus maximè, qui ex instituto adversus illos causam egit.

591. Supernaturali hoc auxilio multo magis opus nobis est ad volendum, perficiendumque bonum ad æternam conferens salutem, unde quotiescumque bonum hoc agimus, Deus in nobis, atque nobiscum, ut operemur, operatur.

392. Hujusmodi autem supernaturale auxilium esse tantum actuale pronunciamus juxta definitionem Conciliorum Constantiensis contra Hussitas, & Tridentini contra Lutheranos, asserentes ad quodcumque bonum Opus morale, etiamsi naturalis sit ordinis, necessariam esse gratiam habitualem, seu sanctificantem.

393. Cui definitioni religiosissimè adhærentes reprobamus Baii Propositiones 35.: *Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est*: & 40.: *In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati*.

394. Quare pro fidei Dogmate decertantes asserimus, distinguendam esse sedulo gratiam Spiritus Sancti inhabitantis, & Spiritus Sancti moventis contra illud, quod Bajus asseruit prop. 63.: *Similiter, & illa distinctio duplicis Justitiæ, alterius quæ fit per Spiritum Charitatis inhabitantem, alterius quæ fit ex inspiratione quidem Spiritus cor ad Pœnitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis, & in eo Charitatem diffundentis, qua Divinæ legis Justificatio impleatur, similiter reiicitur*.

395. Duplicem etiam agnoscimus vivificationem, quæ nempè fit à Spiritu Sancto inhabitante, & à Spiritu Sancto intus movente & excitante, quam pariter evertere conatus est Bajus art. 64.: *Illa distinctio duplicis vivificationis, alterius qua vivificatur peccator, dum ei Pœnitentia, & vitæ novæ propositum, & incboatio per Dei gratiam inspiratur; alterius qua vivificatur, qui vere justificatur, & Palmes vivus in vite Christo efficitur, commentitia judicatur, & Scripturis minimè congruens*.

396. Est insuper necessaria Christi gratia, per quam non solum nobis reveletur intelligentia mandatorum, ut sciamus quid appetere, quid vitare debeamus; sed per quam etiam præstetur, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus, atque valeamus. Hoc autem pertinet ad omnium Divinorum mandatorum observantiam, & quidem ut oportet.

397. Quod si sermo sit de uno, vel altero naturali præcepto facilis observantiæ, nulla urgente gravi tentatione, potest homo lapsus naturæ viribus illud implere quoad substantiam, & ex motivo naturali honesto; quod tamen perrarò contingit.

398. Qui autem proscriptus est Baii articulus 22. *Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Romanos 2.: Gentes quæ legem non babent naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt: intelligunt de gentibus fidei gratiam non babentibus*: proscriptus inquam est in sensu ab Auctore intento, non modo tamquam falsus, & ob acre nimis Judicium, sed etiam tanquam hæreticus.

399. Ad vehementiores superandas tentationes, ad terrenæ labis, & mundani Corporis errores vincendos, vel per breve tempus, vel cum ani-

animæ proventu, non valet liberum arbitrium, nisi supernaturale Dei auxilium in nos imploratum descendat. Secus tamen dicendum de una vel altera levissima tentatione.

400. Articulus verò Baii: *Fures ii sunt, & latrones, qui dicunt tentationi ulli sine gratiæ adjutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur, aut ab ea superetur*: non absolutè, sed respectivè tamquam falsus, & hæreticus damnatus est.

401. Necessitatem etiam gratiæ, & specialis cujusdam privilegii vindicamus ad vitanda peccata venialia; quod *non est ita intelligendum*, ait Angelicus Præceptor 3. p. q. 79. a. 4., *quin aliqua hora possit homo esse absque omni reatu peccati venialis, sed quia vitam istam Sancti non ducunt sine peccatis venialibus*.

402. Ad perseverandum usque ad finem vitæ defendimus contra Pelagianos Gratiæ Christi necessitatem.

403. Hæc autem gratia est speciale donum Dei à gratia habituali, & communibus auxiliis distinctum, quod impugnabant Semipelagiani.

404. Complectitur hæc duplex gratiæ munus, exteriorem scilicet Providentiæ dispositionem, & internam inspirationem.

405. Neque tantum est Speciale donum in iis, qui post acceptam Justitiam diù in ea perseverant, sed & in iis sive adultis, sive parvulis, qui post illam statim, vel paulo post fatis cedunt.

## *De Justificatione, & Merito.*

406. HACTENUS de eo Divino auxilio, quo nos movet Deus ad bene volendum, & agendum: Reliquum modo est, ut de Dei gratia, quatenus habituale donum nobis divinitus inditum significat, disseramus.

407. Justificationem dicimus internam animi rectitudinem, qua sanctitate perfundimur. Est vero *unica causa formalis* hujus justificationis *justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, qua videlicet ab eo donati renovamur Spiritu mentis nostræ, & non modo reputamur, sed vere justi nominamur, & sumus*, ait Concilium Tridentinum sess. 6. can. 7.

408. Quamvis autem de fide non sit justificationem fieri per Habitualem, quæ qualitas sit, non per solam actualem gratiam: firmissime tamen censendum putamus, eam per gratiam non solum interius inspiratam fieri, sed per manentem, atque inhærentem, sive ut appellant, *Habitualem*.

409. Hinc intelligimus per inhærentem, hujusmodi gratiam, qua per Spiritum Sanctum charitas diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, vere tolli, ac deleri peccata, non autem tegi tantum, & a Deo non imputari, ut Novatores blaterant.

410. Justificationis exordium in adultis a Dei per Christum Jesum præveniente gratia sumendum est, hoc est ab ejus vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis, vocantur; ut qui per peccata a Deo aversi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ libere assentiendo, & cooperando, disponantur. Conc. Trid.

 411. Est

411. Est præterea ex parte etiam peccatoris aliqua necessaria præparatio, per fidem, timorem, spem, dilectionem aliquam,& odium in peccata, ac demum per propositum suscipiendi baptisma, novam inchoandi vitam, & divina servandi mandata.

412. Quamvis autem fidem necessariam dixerimus ad justificationem obtinendam: fidei tamen nomine minime designamus fiduciam illam, & certitudinem remissionis peccatorum, in qua sola quiescenti peccata dimitti, vel dimissa esse dicunt Novatores: vanam enim & ab omni pietate remotam esse hujusmodi fiduciam, merito docuit Concilium Tridentinum.

413. Quoniam vero fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis, aliunde vero nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera ipsam justificationis gratiam promerentur; hinc rectissime, verissimeque dicendum esse defendimus, impium per fidem, & gratis justificari.

414. Justificatos, & quantumlibet perfectos teneri ad observantiam mandatorum Dei, & Ecclesiæ, dogma est christianum adversus Novatores definitum, qui justos ad credendum tantummodo teneri commenti sunt, perinde ac si Evangelium nuda esset, & absoluta promissio vitæ æternæ sine conditione observationis mandatorum.

415. In Orthodoxæ quoque Religionis doctrinam blasphemi sunt, qui justum quemlibet in omni opere bono saltem venialiter peccare dicunt, aut, quod intolerabilius est, mortaliter, atque ideo pœnas æternas mereri; tantumque ob id non damnari, quia Deus ea opera non imputet ad damnationem.

416. Debent justi pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, expectare, & sperare æternam retributionem a Deo per ejus misericordiam, & Jesu Christi meritum, si bene agendo, & divina mandata custodiendo usque in finem perseveraverint.

417. Tantum abest,ut justificati peccent, dum intuitu æternæ mercedis bona operantur, ut impie excogitarunt Novatores; quin potius pium est, & Sanctum, suam in agendo socordiam excitare, & sese ad currendum in stadio cohortari mercedem quoque intuendo æternam.

418. Nullus justificatus, aut se amplius peccare non posse præsumat, aut si peccaverit, certam sibi resipiscentiam promittere audeat; quum nonnisi ex speciali revelatione sciri queat, quos Deus sibi elegerit.

420. Justis bene operantibus usque in finem vitæ, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, tanquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda, ait Concil. Trid. loc. cit. cap. 16.

419. Amittitur autem justificationis gratia non sola infidelitate, ut Novatores somniant, sed etiam quovis alio lethali peccato, quamvis non amittatur ipsa fides.

421. Sex autem vulgo esse propugnamus conditiones ad meritum de condigno. 1. quod sit opus bonum. 2. quod sit libere factum. 3. quod aliquo modo in Dei obsequium. 4. quod sit ex gratia tum inhabitante tum moven-

movente. 5. quod operans sit in statu viæ. 6. quod præcedat pactum, seu promissio de mercede.

422. Hinc intelligimus opera, quæ ante justificationem fiunt cum prævenientis tantum gratiæ auxiliopromereri quidem justificationem de congruo, ut vocant, non autem de condigno.

423. Hæc demum omnia de justificatione & merito secundum Catholicæ Ecclesiæ doctrinam non solum nulla ex parte gloriæ Dei, vel meritis Jesu Christi Domini nostri derogant; quin immo veritatem fidei nostrę, Dei denique, ac Christi Jesu gloriam illustrant quam maxime.

# De Sacramentis in genere.

424. SACRAMENTUM definire lubet cum Concilii Tridentini Catechismi Auctoribus, *Invisibilis gratiæ visibile signum ad nostram Justificationem institutum*.

425. Septem esse Sacramenta, Ecclesiæ Catholicæ Sententia est, quam nec novitiam esse, neque a Scholasticis invectam, sed a Christo Apostolis traditam, in ipsa purioris ævi Ecclesia perpetuo viguisse adversus Novatores demonstramus.

426. Constituto autem discrimine inter ea, quæ Sacramenta proprie audiunt, & quæ Sacra, vel etiam Sacramenta latissima significatione dicuntur, nullo negotio probamus, neque pedum ablutionem, neque professionem Monasticam, neque Aquam lustralem, neque paschales Cereos, aliaque hujusmodi, tanquam veri nominis Sacramenta ulla umquam tempestate habita in Ecclesia fuisse.

427. Sive Sacramentorum spectemus necessitatem, sive illorum perfectionem, certa fide tenendum censemus, septem hæc Sacramenta paria inter se non esse, neque æqualis dignitatis.

428. Spectata item duplici necessitate, quæ relate ad finem prædicatur, alia scilicet, sine qua finis haberi nequit, alia vero, sine qua idem finis haberi quidem potest, sed non ita commode, & facile; nullum esse Sacramentum tuemur aliquo nomine minime necessarium; ac proinde sacrilege ajunt Novatores, Sacramenta novæ legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua.

429. Sunt autem Sacramenta non signa tantum externa acceptæ per fidem gratiæ, vel justitiæ, aut notæ quædam Christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus; sed gratiam continent, quam significant, eamdemque obicem non ponentibus conferunt.

430. Datur autem gratia per hujusmodi Sacramenta semper, & omnibus, quantum ex parte Dei est: Et ideo merito damnati Novatores somniantes gratiam, etiamsi Sacramenta rite suscipiantur, aliquando, & aliquibus tantum conferri.

431. Quoniam vero Deus, qui Suprema Sanctificationis est causa, Sacramentis utitur, seu instrumentis, quibus Christi merita non ponentibus obicem applicat, & spiritualia dona communicat; hinc per Sacramenta

menta novæ legis gratiam ex opere operato conferri propugnamus.

432. Ex quo intelligimus maximum, quod interest, discrimen inter Sacramenta novæ & veteris legis, quæ egena erant, & infirma elementa, & per quæ justitiam, & Salutem assequebantur homines solo operantis opere, idest sola in futurum reparatorem fide, non autem exteriori signorum usu.

433. Fides itaque in futurum Mediatorem exterioribus iis symbolis significata, sola erat justificationis veterum causa: Nunc vero mera conditio est, sine qua Deus statuit virtutem passionis Christi per Sacramenta applicatam nulli adulto prodesse ad salutem, & justitiam.

434. Alterum quoque habent effectum nonnulla novæ legis Sacramenta, characterem Scilicet imprimunt, hoc est signum quoddam spirituale, & indelebile, unde iterari non possunt. Dogma hoc nec novitium esse, neque commentum a Theologis inventum, adversus Novatores contendimus.

435. Sacramentorum omnium Ministri non sunt Christiani omnes, neque omnibus promiscue Christianis delegata est potestas, quam *Ministerii* dicunt, parandi scilicet, efficiendi, applicandi, & ministrandi.

436. In Sacramentorum Ministris, dum Sacramenta ipsa conficiunt, & conferunt, virtualis saltem requiritur intentio faciendi, quod facit Ecclesia. Quare ut blasphemiam rejicimus Novatorum Sententiam asserentium rata habenda esse Sacramenta, etsi eorum Minister nihil cogitet, nihil omnino intendat, immo Sacra Mysteria palam irrideat.

437. Hujusmodi autem Intentio non esse omnino debet faciendi quod Romana, quæ sola vera est, Ecclesia facit; sed sufficit etiam generatim intentio faciendi, quod vera facit Christi Ecclesia, quæcumque demum illa creditur esse.

438. Quid vero judicabimus de Catharino, aliisque Theologis opinantibus Sacramento, ut ratum sit sufficere in Ministro voluntatem serio agendi, & abesse tantummodo debere jocum, quem Sacramentum suscipiens cognoscere possit? Hoc unum de hujusmodi sententia pronunciamus, fidenter nimis, minusque scite censeri a nonnullis, eam coincidere cum Lutheri, & Calvini doctrina a Concilio Tridentino expresse damnata.

439. Morum probitas necessaria nullo modo est in Ministris ad Sacramentum conficiendum: hinc Minister quilibet in peccato mortali existens, sive palam, sive clam scelestus, modo omnia Sacramenti essentialia observaverit, ratum efficit, & confert Sacramentum.

440. Recepti, approbatique Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni Sacramentorum administratione consueti nec contemni, nec sine peccato a Ministris pro libito omitti, nec in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari possunt.

*De Ba-*

# De Baptismo.

441. BAPTISMA a Christo institutum non spiritus tantummodo est, sed etiam aquæ, non mysticum, & interius tantum, ut Quakeri somniant, sed exterius etiam, & materiale.

442. Nomine igitur aquæ a Christo memoratæ, non tropica, & figuralis aqua venit, *interior* scilicet *spiritus compunctio*, ut Calvinus autumavit, sed naturalis, & corporea.

443. Mentiuntur turpiter & Sociniani, qui Baptismi nomine solam Doctrinam intelligunt, fidemque Evangelicam, ita ut Baptizare nihil aliud penes eos sit, quam prædicare, & docere; Baptizari vero aqua, idem ac susceptam Christi fidem aperte testari.

444. Ignem vero, in quo Matthæi, & Lucæ 3. prædicitur fore, ut Christus baptizaret, translativo sensu, non proprio dictum esse, ex constanti Ecclesiæ usu ab Apostolis ad nos usque derivato conficimus: Unde irridendos potius, quam confutandos existimamus hæreticos Seleucianos, Erminianos, Valentinianos, aliosque, quibus signum Crucis, candenti ferro fronti, aut temporibus, aut genis puerorum impressum Baptismi loco fuit.

445. Est autem naturalis aqua ita propria Sacramenti hujus materies, ut suppleri illa alio liquore non possit, quicumque urgeat necessitatis articulus.

446. Neque est, cur solliciti simus de Siricio, & Stephano III. Romanis Pontificibus, qui probasse perhibentur, nec iterari jussisse Baptisma periclitanti infantulo in vino administratum: Momentis enim haud levibus probamus, illorum responsa spuria esse, & non sincera.

447. Minister Baptismi, necessitate urgente, homo quilibet esse potest, sive Clericus, sive Laicus, sive Fidelis, sive Mas, sive Foemina. Atque hujusmodi Baptismus ratus non solum erit, sed etiam omni culpa vacabit.

448. Baptismum etiam qui datur ab hæretico in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, verum esse Baptismum defendimus.

449. Quam vero in oppositum jactabat Cyprianus, consuetudinem, & quam ante multos annos, & longam ætatem Episcopis plurimis Sanctus idem Episcopus adscribit, inter oratorias *auxeses* hominis causæ suæ plus æquo studentis reponimus; cum inter Agrippini Concilium, certe quidem non admodum numerosum, & Cypriani ad Subajanum Epistolæ epocham, anni vix quadraginta intercessissent.

450. Quum pro Supremo Suo arbitrio voluerit Deus absque Baptismo obtineri salutem a nullo posse, jusseritque Baptisma ab omnibus suscipi, necessario profluit, Baptismum vel in re, vel in voto esse ad salutem omnino necessarium.

451. Est autem hujusmodi necessitas non simpliciter absoluta, sed quam *medii* vocant, si de Infantibus sermo sit: Si vero de adultis, & *medii*, & *præcepti*.

454. Hinc falsam asserimus eorum sententiam, qui in casu necessitatis Baptismum in voto Parentum, cùm exteriori præsertim aliquo signo, saluti puerorum sufficere voluerunt, parique modo pueros nondum natos, sed materno in utero periclitantes salvari posse Baptismo in voto Parentum cum aliqua Benedictione, & Trinitatis invocatione.

455. Ex his intelligimus, ratum esse, & Sacramentum Baptisma administratum Infantibus, ac Sacrilegii reos habendos Anabaptistas, novo Baptismo tingere audentes parvulos ante rationis usum baptizatos.

456. Hinc Parvuli suscepto Baptismo sunt inter fideles computandi, nulloque modo quum adoleverint, interrogandi sunt, an ratas habeant promissiones per eorum sponsores factas, quemamodum placuit Anabaptistis.

457. Non sunt itaque iidem Parvuli Baptizati suo arbitrio relinquendi, sed ad Christianam vitam cogendi non solum proposita pœna, ut ab Eucharistiæ, aliorumque Sacramentorum perceptione arceantur, sed aptis quibusque pœnis adhibitis.

458. Trinam in Baptismo mersionem Apostolicæ traditionis esse fatemur. Sensit tamen Ecclesia, non ita Baptismi substantiam in uno ablutionis modo positam esse, quin aliis etiam perfici rite possit.

459. Exploratissimum quidem putamus, trinæ immersionis usum, etsi olim communior, at non adeo constantem fuisse, quin vel una sæpe immersio aut aspersio, aut infusio, haud infrequenter fuerit ad Baptismum adhibita.

460. Ratum est itaque habendum Baptisma sive aspersione, sive infusione, sive immersione, & hac vel una, vel trina administratum.

461. Jam vero ad Baptismi effectus progredientes, tres potissimum propugnamus, remissionem scilicet omnium peccatorum, regenerationem in Filios Dei, & reservationem Regni Cælestis, nisi suscipientis fictio effectus impediverit.

462. Cum nihil horum ex se conferret Joannis Baptisma; palam inde fit, Baptismum Joannis non eamdem habuisse vim cum Christi Baptismo: *Si enim*, egregie argumentatur Augustinus, *Baptismo Joannis Peccata dimittebantur, quid amplius præstare potuit Baptisma Christi eis, quos Apostolus Paulus post Baptismum Joannis voluit Baptizari?*

# *De Confirmatione.*

463. CONFIRMATIONEM Baptizatorum, non otiosam quamdam Cæremoniam esse, sed verum, & proprium Novæ Legis Sacramentum, firmissime colligitur ex Verbo Dei scripto Actorum 8., & 19.

464. Delirant vero quam maxime Novatores, dum manuum impositionem, cujus locis citatis fit mentio, meram fuisse Baptismi appendicem contendunt, omni spirituali effectu vacuam; vel privilegium fuisse nascenti Ecclesiæ tantummodo concessum ad gratias gratis datas signo sensibili Neophytis communicandas.

465. Ejusdem veritatis testes locupletissimos damus Sanctos Patres,

qui-

quibus & constantem addimus Ecclesiarum omnium consensionem.

466. Sacramenti hujus effectus est, Baptizatos Spiritus Sancti plenitudine roborare ad Christi fidem firmiter retinendam, ac intrepide profitendam. Hujusmodi Spiritus Sancti effectus in Apostolorum, Discipulorumque invicta constantia, & evangelizandi fiducia apertissime intuemur.

467. Quid de Sacramenti hujus materia in tanto opinionum discrimine statuendum sit, ignoramus. Sunt enim qui solam admittunt manuum impositionem, alii solam inunctionem, alii alterutrum, alii utrumque. Unum est quod, Theologis omnibus consentientibus, firmum habemus, & ratum, nimirum, supplendum religiose esse, si alteruter ritus omissus fuerit, ne Sacramenti veritas periclitetur.

468. Illud quoque firmissime tuemur, Chrismatis usum a tacita, & secreta traditione fluentem in purioris ævi Ecclesia viguisse, ac proinde injuriosos Spiritui Sancto nos minime esse, qui Sacro Confirmationis Chrismati virtutem aliquam tribuimus.

469 Nihil etiam definiendum putamus utrum præcepti solum, an etiam Sacramenti necessitate, & Balsamum Oleo sit miscendum, & Chrisma benedici debeat atque consecrari.

470. Ea etiam, quæ circa Sacramenti hujus formam occurrit opinionum varietas, dogmatis substantiam, & Ecclesiæ consensum ne minimum quidem labefactat, cum tota in adjunctis versetur. Constat tamen apud omnes, & orationem manuum impositioni junctam, & verba unctionem sacram comitantia ob Ecclesiæ auctoritatem, usumque antiquissimum, prætermitti scienter absque sacrilegio non posse.

471. Sacramenti hujus ordinarius Minister est solus Episcopus. Si vero exigant Novatores post Photium *ubi scriptum sit?* respondebimus: *in Actibus Apostolorum*.

472. Quumvero Gregorius Magnus aliique Pontifices facultatem fecerint simplicibus Presbyteris Sacramentum Confirmationis exhibendi; hinc Ecclesiasticis Sanctionibus adversari dicimus, qui dubitant, num simplex Sacerdos possit ex Romani Pontificis commissione hujusmodi Sacramentum conferre.

473. Utrum vero cuilibet etiam Episcopo hujusmodi delegandi potestas asseri debeat, difficilis est, valdeque implexa controversia. De hac nihil sumus solliciti, rati nullam modo fore Confirmationem a simplici Presbytero Latino ex sola Episcopi delegatione collatam, quia Sedes Apostolica id sibi juris reservavit.

474. Eamdem Confirmandi potestatem Diaconis fuisse quondam delegatam, docuerunt Morinus, & Lucas Holstenius; hos tamen in errorem lapsos contendimus post Moresum, Constantium, & alios.

475. Et quoniam Græcorum consuetudini in eo sitæ, ut simplices Sacerdotes Baptizatos infantes statim Sacro Chrismate inungerent, nunquam Romani Pontifices obstiterunt, quinimmo Græcorum Confirmationem Latini Patres in Concilio Florentino ratam habuerunt; hinc iisdem simplicibus Presbyteris delegationem tacite a Romano Pontifice factam concludimus.

476. Ex his rite inferimus, tanto magis posse a Summo Pontifice facultatem fieri simplici Presbytero præparandi ejusdem Sacramenti materiam, benedicendi scilicet, consecrandique Chrisma.

# *De Pænitentia.*

477. PECCATA omnia, quæ post Baptismum patrantur, sola recordatione, & fide suscepti Baptismi, vel dimitti, vel venialia fieri, merum Novatorum commentum est a Concilio Tridentino merito proscriptum.

478. Aliud ergo institutum est remedium a Deo, qui dives in misericordia cognovit figmentum nostrum, prò iis, qui se in peccati servitutem tradunt, & Dæmonis potestatem; Sacramentum videlicet Poenitentiæ, quo lapsis post Baptismum beneficium Mortis Christi applicatur.

479. Definiri hoc autem vulgo solet: *Novæ legis Sacramentum institutum a Christo, quo fidelibus post Baptismum lapsis vere pænitentibus, & confessis virtute clavium absolutio Sacramentalis, & reconciliationis cum Deo beneficium impenditur.*

480. Esse autem in Ecclesia potestatem remittendi peccata externo alicui ritui divinitus instituto annexam, dubitare nos minime patitur absoluta illa Christi locutio Matth. 16., vel Joannis 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.*

481. Licet vero laudata Christi verba Sancti Patres de prædicandi ministerio intellexerint, vel de culparum remissione, quæ fit aut Evangelii prædicatione, aut Baptismi collatione, aut injuriarum condonatione; non tamen ab iisdem Christi Domini verbis excludi voluerunt judiciariam potestatem remittendorum peccatorum, quippe qui iisdem verbis Sacramentum hoc adstruunt, & confirmant.

482. Merito hinc anathemate perculsi sunt a Concilio Tridentino Novatores, qui admisso primario, ac generali eorumdem verborum sensu de judiciaria potestate Apostolis, eorumque successoribus communicata, alios ex iis, etsi mysticos, minusque proprios adoptarunt ad institutionem hujus Sacramenti labefactandam.

483. Sunt autem remota Sacramenti hujus materies peccata post Baptismum, vel in Baptismo percipiendo commissa; nullumque adversus Montanistas, & Novationes esse tuemur peccatum, cujus remittendi non sit a Christo tributa Ecclesiæ potestas.

484. Quoniam vero exploratum habemus, in poenitente ad Sacramenti integritatem, ad plenamque, & perfectam remissionem peccatorum requiri ex Dei institutione Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem; hinc tres hujusmodi actus quasi Sacramenti hujus proximam materiam esse defendimus.

485. Execramur itaque quam maxime Novatores impie blaterantes; duas tantum esse Poenitentiæ partes, terrores scilicet incussos conscientiæ agnito peccato, & fidem conceptam ex Evangelio, vel absolutione, qua credit quis sibi per Christum remissa peccata.

486. Jam vero ad primum Poenitentis actum, contritionem scilicet, progredientes, contritionem esse dicimus *animi dolorem, ac detestationem de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero.*

487. Hinc Novatorum proverbium: *Optima pœnitentia nova vita*: tamquam falsissimum, & Sacrarum Litterarum veritati directe contrarium explodimus, & rejicimus, propugnautes, Contritionem non solum continere cessationem a peccato, & novæ vitæ propositum, atque inchoationem, sed etiam veteris odium, & detestationem.

488. Num vero propositum illud non peccandi de cætero *explicitum*, & *formale* esse debeat, vel *implicitum* tantum, & *virtuale* sufficiat, non conveniunt Theologi: nos tamen priori sententiæ adhærendum putamus.

489. Contritionem charitate perfectam adferendam necessario esse ad Sacramentum Poenitentiæ, veterum Scholasticorum plerique docuerunt. Pluribus tamen ex capitibus eam sententiam falsam esse demonstramus.

490. Etsi vero contritio charitate perfecta hominem Deo reconciliet, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam ostendimus.

491. Attritionem ex gehennæ, poenarumque metu, per quem ad misericordiam Dei dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum, ac proinde utilem, & ad justificationem disponere, Catholicæ Ecclesiæ doctrina est adversus Novatores firmata ajentes, timorem illum peccatum esse, aut peccatores pejores facere.

492. Utrum vero hujusmodi attritio ad obtinendam in Poenitentiæ Sacramento reconciliationis gratiam *proxime*, & *immediate* disponat, vel *remote* tantum, & *mediate*, ita ut necessaria præterea sit *inchoata* aliqua & *initialis* Dei dilectio, acerrima inter Theologos controversia jamdudum fervet. Postremam amplectimur sententiam, eamque præsertim quoties de Sacramentorum valore, æternaque animarum salute agitur, practice præeligere consultius esse, & securius tenemus.

493. Alter poenitentis actus est confessio, quam *peccatorum secretam accusationem dicimus coram legitimo Pœnitentiæ ministro ad obtinendam virtute clavium culparum veniam*. Hujus Confessionis necessitatem, & Sacræ Litteræ, & constans atque perpetua Ecclesiæ traditio luculentissime demonstrat.

494. Quoniam vero Achilleum hac de re Calvini, Dallæi, aliorumque argumentum ex celeberrimo Nectarii facto depromi solet; hinc inter cætera, quæ ad illud afferri solent responsa, illud præeligimus, quo ostenditur, non arcanam, atque Sacramentalem, sed publicam tantum confessionem, & publicam pro peccatis etiam occultis satisfactionem, eliminatam fuisse a Nectario.

495. Postremus Poenitentis actus est Satisfactio. Satisfactiones in eum tantum finem institutas fuisse ab Ecclesia, ut alicujus sceleris rei post emensum laboriosæ Poenitentiæ curriculum in exteriorem Ecclesiæ, a qua præcisi fuerant, communionem reciperentur, non vero ut impetra-

 rent

rent a Deo veniam, ejusque justitiæ facerent satis, impudentissimum est Novatorum mendacium.

496. Eodemque in pretio habemus alteram eorumdem blasphemiam a Concilio Tridentino damnatam, satisfactionem scilicet hominum non aliam esse quam fidem, qua apprehendunt, Christum pro eis satisfecisse.

497. Satisfactionis necessitatem evincunt potissimum Sacræ Litteræ, ex quibus certissime infertur, totam simul cum culpa pœnam non semper remitti; sed plerumque, remissa culpa, sublatoque æternæ mortis reatu, luendam superesse pœnam temporalem vel in hoc, vel in futuro Sæculo.

498. Alterum, illudque generalissimum momentum, ex eo repetitur, quod Ecclesiæ datæ sunt a Christo claves non ad solvendum solum, sed etiam ad ligandum, seu ad imponendas confitentibus pœnas.

499. Hac ligandi potestate usa perpetuo est Ecclesia, non tantum ad aliorum exemplum, sed præcipue ad illatas Deo injurias compensandas.

500. Pœnis itaque vel a Deo inflictis, & patienter toleratis, vel a Sacerdote injunctis, vel sponte susceptis Deo per Christi merita vere satisfacimus.

501. Forma Sacramenti hujus posita est in illis verbis: *Ego te absolvo*, quæ vero de Ecclesiæ more adjunguntur precationes, neq; ad ipsius formæ essentiam spectant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessariæ.

502. Hujusmodi autem absolutio non est nudum Ministerium pronunciandi, & declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se esse absolutum; sed actus judicalis Sacerdotis divina auctoritate peccata remittentis.

503. Patrum vero dicta, gemitus Ecclesiæ, & Sacerdotum supplicationes comemorantium ad remissionem peccatorum, egregie explicamus cum Angelico, ea intelligendo de Oratione, quæ absolutioni præmittitur, non autem quatenus removeant, quin Sacerdotes absolvant, ministerialiter quidem, quatenus eorum verba in hoc Sacramento instrumentaliter operantur divina virtute, sicut & in aliis Sacramentis.

504. Legitimi hujus Sacramenti Ministri non alii sunt ab Episcopis, & Sacerdotibus: Ad hos quippe tantummodo non ad singulos promiscue fideles dicta fuisse ea Christi verba: *Quorum remiseritis &c.*, uno ore testantur Patres.

505. Sacerdotes demum, qui peccato mortali tenentur, per virtutem Spiritus Sancti in Ordinatione acceptam, tamquam Christi Ministros, functionem remittendi peccata exercere posse, certa fide tenendum esse contendimus.

# De Extremæ Unctionis Sacramento.

506. EXTREMÆ unctionis Sacramentum illud est, quo ægrotis Christianis per inunctionem Sacri olei cum certa orationis formula, & dantur auxilia necessaria ad ferendas patienter ægritudinis molestias, & vires adduntur ad resistendum Diabolo, & delicta, si quæ sunt adhuc expianda, & peccati reliquiæ absterguntur, & interdum Sanitas Corporis, ubi saluti Animæ expedierit, conceditur.

507. Hunc vero exteriorem ritum, unctionem scilicet, quæ oleo fit, precibus junctam, signum esse, seu formam invisibilis gratiæ, testatur apertissime Jacobus, dum peccatorum meminit remissionis, quæ sine gratia haberi nequit.

508. Hinc & divinam ipsius ritus institutionem planissime intelligimus: cum tam certo, & fidenter Jacobus ei ritui promissionem non adjunxisset, nisi ad hoc fuisset ille a Christo institutus.

509. Unctio vero a Marco memorata cap. 6. ejus, quam Jacobus commendat, typus fuit, atque figura, eamque nec precibus junctam fuisse legimus, nec adnexam habuisse gratiæ promissionem, ac proinde insigniter falluntur Novatores ex ea inferentes, neque Jacobæam unctionem esse inter Sacramenta recensendam.

510. Quominus autem Jacobi unctionem de curationum gratia intelligamus Apostolorum ætate, & proximiori ævo fidelibus ferme communi, impedit non solum Sacer ipse Textus, sed etiam perpetua Apostolica traditio per manus accepta, atque constans fidelium usus.

511. Oleum ex olivis tantummodo expressum esse materiam Sacramenti hujus, convenit inter omnes Romanæ Ecclesiæ Theologos. Num vero oleum simplex esse necessario debeat, an possit alius liquor, seu balsamum ei admisceri: & utrum necessaria sit ejusdem benedictio ex Christi Domini institutione, an solum ex Ecclesiæ præcepto, ejusmodi hæc sunt, ut substantiam dogmatis minime attingant, deque iis libere, & innoxie in Scholis disputari valeat.

512. Eadem & de forma Sacramenti pronunciamus. Constat quippe apud omnes formæ deprecativæ usum optimum esse, aptissimumque; qui proinde in Latina, Græcaque Ecclesia communiter nunc usurpatur. Num vero ex Sacramenti essentia, seu Christi institutione deprecativa forma debeat adhiberi, ita ut indicativo modo pronunciata nullam vim habeat, dissidium est inter Catholicos, ipsam Catholicæ veritatis summam ne minimum quidem attingens.

513. Solus Sacerdos legitimus est hujus Sacramenti Minister; & quamvis plurali numero utatur Jacobus *Presbyteros Ecclesiæ*; firmiter nihilominus tenendum est, per unum tantum Sacerdotem valide Sacramentum confici.

514. Licet etiam vox Presbyter Seniorem quoque ætate significare possit: ipsa tamen Jacobi locutio, & perpetuus Universalis Ecclesiæ sen-

ſus aperte declarant nomine *Presbyteri* eo loco intelligendos non eſſe ætate Seniores, aut Primores in populo, ut Novatores contendunt.

515. Fruſtra etiam teſtimonia congeſſit Launojus, ut efficeret, Diaconis olim fuiſſe conceſſum, ut infirmos urgente morte perungerent. Ea enim omnia prave detorquet intemperantioris criterii homo, nimiaque verboſitate ſimplicioribus venditat.

516. Extremam unctionem ſolis infirmis eſſe exhibendam, & quidem tali morbo laborantibus, unde peritorum judicio mors ſequutura prudenter timeatur, Eccleſiæ Latinæ perpetua, & conſtans traditio eſt: nec aliud fieri poſſe demonſtrant argumenta a Juvenino, & Saintebeuve prolata.

517. Ab hujuſmodi traditione Latinæ Eccleſiæ minime receſſerunt Græci, qui ſacro oleo inungere ſolent etiam bene valentes in remiſſionem peccatorum: eam enim unctionem fieri contendimus cum Goario, tamquam meram cæremoniam ſacram, ſeu Sacramentalem quamdam benedictionem ad ſublevandos inunctos ab aliqua levi corporis infirmitate, aut ad eoſdem præſervandos a graviori morbo.

518. Merito tamen denegatur Sacra hujuſmodi unctio pueris rationis uſum non habentibus, perpetuo amentibus, & furioſis, qui nullum ab ortu lucidum intervallum obtinuerunt, iis demum, quibus, ut ait S. Thomas: *non competit forma Sacramenti*, hoc eſt, *qui non peccaverunt per viſum, & auditum &c. ut in forma exprimitur*.

519. Cavendum vero, ne Sancto oleo tunc tantum liniantur infirmi, cum prorſus deſperata ſalute jam ſunt extremum ſpiritum exhalaturi. Senſibus enim & rationis uſu carens fieri vix poteſt particeps nobiliorum effectuum, quos Sacra Unctio in decumbentium anima operatur.

520. Eſt autem primarius, & proprius hujus Sacramenti effectus gratia tum corroborans animam contra difficultates in articulo mortis occurrentes, tum ſpiritualem alacritatem conferens, qua infirmus, & morbi incommoda levius ferat, & tentationibus Dæmonis facilius reſiſtat, ac ſpem divinæ miſericordiæ concipiat, adventumque Domini alacriter expectet; tum peccata ſive venialia, ſive mortalia, ſi qua reperiat, abſtergens.

521. Secundarius vero, neque perpetuus Sacramenti hujus effectus eſt corporis Sanitas; *nec præjudicat virtuti Sacramenti*, utar verbis S. Thomæ lib. 4. contra gentes cap. 73. *ſi aliquando infirmi, quibus confertur, a corporali infirmitate non ſanantur; quia quandoque corporaliter ſanari, etiam digne hoc Sacramentum ſumentibus utile non eſt ad ſalutem*. Hinc non immerito viſum nonnullis, extremam unctionem non operari hunc effectum, ut ipſum Sacramentum eſt, ſed ut Sacramentale, per modum ſcilicet publicæ orationis.

522. In eadem infirmitate hoc Sacramentum iterari non debet, niſi diuturna ſit, & infirmus, cum viſus eſſet melius ſe habere, iterum in periculum mortis incidat: ſeu niſi *alius ſit infirmitatis ſtatus, quamvis non ſit alia infirmitas ſimpliciter*, ut docet Angelicus in 4. Diſtinct. 23. quæſt. 2. art. 4.

De Eu-

# *De Eucharistiæ Sacramento.*

523. IN EUCHARISTIÆ SACRAMENTO contineri vere, realiter, & substantialiter Corpus, & Sanguinem una cum anima, & divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum, sola institutionis ejusdem verba apertissime demonstrant.

524. Quominus vero hujusmodi verba tropice, & figurate intelligamus, plura impediunt, maxime vero, quæ Eucharistiæ institutionem comitantur, circumstantiæ.

525. Eamdem fidei veritatem Patrum omnium auctoritas, perpetua Ecclesiæ fides, omnium demum Christiani instituti societatum per novem priora sæcula consensus solidissime confirmant.

526. Quod si plerique Antiquissimi Patres de reali Corporis, & Sanguinis Christi præsentia obscurius loquuti sunt, aut figuram esse dixerunt, ex *arcani disciplina*, quæ primis viguit Ecclesiæ sæculis, id repetendum esse demonstramus.

527. In Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento, non remanet substantia panis, & vini una cum Corpore, & Sanguine Domini nostri Jesu Christi; sed tota panis substantia in corpus, & tota vini substantia in sanguinem mirabiliter convertitur, manentibus dumtaxat speciebus panis, & vini: Quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissime *Transubstantiationem* appellat.

528. Totus item Christus continetur sub unaquaque specie, & sub singulis cujusque speciei partibus, etiam separatione facta.

529. Idem Christi corpus in Eucharistia, peracta consecratione, vere adest, non solum dum a fidelibus actu sumitur, sed etiam ante, & post sumptionem, quamdiu species Eucharistiæ perdurant, ac proinde in hostiis, seu particulis consecratis, quæ post communionem supersunt.

530. Hinc necessario fluit, licere sacram Eucharistiam in Sacrario reservari, & ad infirmos honorifice deferri: quemadmodum multis in Conciliis præceptum invenitur, & vetustissimo Catholicæ Ecclesiæ more est observatum; neque idcirco statim post consecrationem adstantibus esse necessario Eucharistiam distribuendam, ut blasphemant Novatores.

531. Sequitur etiam, Christum Unigenitum Dei Filium in Sancto Eucharistiæ Sacramento cultu Latriæ etiam externo adorandum esse, laudabilemque Sanctæ Ecclesiæ ritum, & consuetudinem Sacramentum hoc in processionibus solemniter circumgestandi, vel publice, ut adoretur, populo proponendi, esse retinendam.

532. Jam verò Sacramentum hoc in ultima Christum Coena instituisse, cùm post panis, vinique benedictionem, se suum ipsius corpus discipulis præbere, ac suum sanguinem, disertis verbis ac perspicuis testatus est, Evangelistæ docent, confirmat & Paulus.

533. Quinimo non solum Sacramentum hoc instituit Christus, sed etiam Discipulis suis, eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent cor-

corpus, & ſanguinem ſuum, præcepit per hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem.*

534. Soli igitur Sacerdotes poteſtate donati ſunt a Chriſto conficiendæ Euchariſtiæ, nec alius quiſquam præter eos, quavis etiam poſita neceſſitate, ejus conſecrandæ miniſter eſſe poteſt.

535. Quemadmodum Sacerdotes Sacramenti hujus conficiendi conſtituti ſint a Chriſto ordinarii miniſtri, ita & diſpenſandi. Diaconis tamen, imo & inferioribus ordinis Clericis, quandoque & Laicis Euchariſtiæ diſpenſationem fuiſſe priſcis Eccleſiæ ſæculis concreditam, probatiſſimis conſtat monumentis; ex quo inferre licet, Diaconos eſſe extraordinarios diſpenſandæ Euchariſtiæ miniſtros.

536. Uſum fuiſſe Chriſtum pane triticeo in Euchariſtiæ conſecratione, & ſolius panis ex tritico confecti uſum Eccleſiæ commendaſſe, uno ore teſtantur Evangeliſtæ & Paulus, ac decretorie efficit perpetua Eccleſiæ conſuetudo, qua nullus eſt ſanctior divinæ inſtitutionis interpres.

537. Iiſdem ferme argumentis certiſſime efficitur, vinum de uvis expreſſum eſſe materiam hujus Sacramenti, ac proinde nefas omnino eſſe iis in regionibus, in quibus vini copia non eſt, adhiberi quidquid incolis eſt loco vini.

538. Hinc tamquam fabuloſum, & fraude ac dolo Dominici Viterbienſis, & Franciſci Maldente ſuppoſitum conficimus Innocentii VIII. Breve, ut vocant, quo Norvegis facta dicitur facultas Euchariſtiam conficiendi abſque vino.

539. Quamvis certum ſit, inſtitutam a Chriſto Euchariſtiam in azymo pane, inter fidei tamen capita cenſemus, in azymo, ſive in fermentato pane triticeo Chriſti corpus veraciter confici. Impie igitur Græci Schiſmatici Latinos per ludibrium *Azymitas* appellant.

540. Quoniam vero jamdudum ſanxit Eccleſia pro ea, qua inſtructa eſt, poteſtate, ut Græci, & Latini in hujus Sacramenti celebratione diſciplinam, ritumque ſuæ Eccleſiæ retinerent; hinc nefas eſt Græcis in Azymo, & Latinis in fermentato pane Euchariſtiam conſecrare.

541. Neceſſe item eſt, ut in ſacrificio peragendo aqua vino miſceatur. Hujuſmodi autem neceſſitas non Sacramenti eſt, ſed Præcepti Eccleſiaſtici.

542. Cur vero id præceperit Eccleſia, cauſæ adſunt graviſſimæ, non myſticæ tantum, & ſymbolicæ, ſed etiam litterales. Litteralis quidem, quia Chriſtus Dominus id feciſſe creditur: Myſticæ vero, tum ad recolendum Sacramentum aquæ ſimul cum ſanguine e latere Chriſti exeuntis, tum etiam ad repræſentandam unionem populi fidelis cum capite Chriſto. Rationes has ceu ineptas ſacrilege rident Novatores.

543. Verba, quibus conſecrationis forma continetur, ſunt: *Hoc eſt Corpus meum*, & Hic eſt calix ſanguinis mei. Reliqua autem verba, nimirum, *novi, & æterni teſtamenti &c.* ad formæ tantum integritatem, non eſſentiam pertinent.

544. Hinc tamquam falſam reiicimus Scoti ſententiam, (in qua referente B. Thoma veteres etiam nonnulli ſcholaſtici verſati ſunt) poſtulantis

tis ad formam consecrationis illa quoque verba. *Qui pridie quam pateretur &c.* tum ut Christi mentio fiat, tum etiam ut intelligatur Sacerdos agere ex persona Christi.

545. Cum Patrum etiam doctrina aperte pugnare asserimus eorum sententiam, qui præfracte contendunt, non solis Domini verbis: *Hoc est corpus meum: Hic est calix sanguinis mei*, a Sacerdote prolatis, sed quibusdam aliis additis, orationibus nempe, quæ in Liturgia consecrationem vel antecedunt, vel subsequuntur, perfici Eucharistiam.

546. Eadem verborum forma, quam Sacerdotibus præscripsit Christus, usus ipse est in Eucharistia conficienda; quamvis pro suprema illa, qua præditus erat, potestate, Eucharistiam absque verbis consecrare potuerit.

547. Actu Eucharistiam sumere necessitatis est non medii, sed præcepti tum Divini, tum Ecclesiastici, quod solos adultos rationis usu pollentes obstringit.

548. Nulla igitur parvuli rationis usu carentes obligantur necessitate ad Sacramentalem Eucharistiæ Communionem; atque idcirco per Baptismi lavacrum regenerati, & Christo incorporati, qua a dignitate nequeunt excidere, si ante rationis usum e vivis excedant, gloriam æternam certissime consequuntur.

549. Quum etiam sub altera tantum specie totus integer Christus, verumque sacramentum sumatur; hinc quod fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem ii defraudantur, qui unam solam speciem accipiunt.

550. Illud hinc pro certo haberi debet, Laicos & Clericos non conficientes non adstringi jure Divino ad communionem sub utraque specie: Sed alterius speciei Communio illis ad salutem sufficit.

551. Pro ea, qua pollet Ecclesia, potestate in Sacramentorum dispensatione, potuit illa gravibus, & justis causis adducta, mutata veteri consuetudine sumendi utramque speciem ab initio Christianæ Religionis invecta, novam sub altera specie communicandi approbare, & pro lege habendam decernere.

552. Tandem ad sumendum sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum sola fides minime sufficiens est præparatio, ut putant Novatores: Sed in primis requiritur ut conscientia nullo gravetur lethali crimine; ac proinde Sacramentalis Confessio necessario præmittenda est, habita copia Confessarii, ab iis, qui gravi tenentur culpa, quantumcumque etiam se contritos existiment.

# *De Eucharistia, ut Sacrificium est.*

553. SACRIFICIUM definiri Vulgo solet: *Externa rei sensibilis, & permanentis oblatio, a legitimo ministro soli Deo facta in ejus cultum, ac supremi dominii argumentum, qua res oblata ritu mystico consecratur & immutatur.*

554. Christus in cœna novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectæ

 spon-

ſponſæ ſuæ Eccleſiæ viſibile, ſicut hominum natura exigit, relinqueret Sacrificium, Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech ſe in æternum conſtitutum declarans, corpus, & ſanguinem ſuum, ſub ſpeciebus panis, & vini Deo Patri obtulit.

555. Eſt itaque Chriſtus verus Sacerdos ejus rationis, ritus, inſtitutique, cujus fuit, repræſentatione atque figura Sacerdotium Melchiſedech; unde merito de Chriſto prædictum fuit pſal. 104. 4. *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.*

556. Quum ergo, quod in cœna noviſſima egit Chriſtus, ab Apoſtolis eorumque in ſacerdotio ſucceſſoribus ritu perpetuo fieri juſſerit; ſi verum tunc ipſe ſacrificium obtulit, ab iis quoque, quos ſui Vicarios inſtituit, etiam nunc offerri certum eſt.

557. Euchariſtia itaque non eſt nuda commemoratio ſacrificii in Cruce peracti, aut laudis tantum, & gratiarum actionis ſacrificium, ſed verum propriumque ſacrificium.

558. Jam vero hujuſmodi ſacrificii hoſtia, non a nobis vim habet, ſed a ſummo Sacerdote Chriſto, in quo Patri bene coomplacuit, & qui principalis eſt Sacerdos, & victima: hinc eadem oblatio adeo munda eſt, ut nulla offerentium infirmitate, aut malitia inquinari ullo modo poſſit.

559. Unum etiam eſt quodammodo omnium Sacerdotium, Chriſti quidem *principaliter*, & *excellenter*; noſtrum vero *miniſterialiter*: Sacerdotes enim N. T. nonniſi in Chriſti nomine, ac perſona ad Altare accedunt, tum etiam eamdem a Chriſto ſemel oblatam offerunt hoſtiam.

560. Sacrificium iſtud vere propitiatorum eſt, per ipſumque fit, ut ſi cum vero corde, & vera fide, cum metu & reverentia contriti, ac pœnitentes ad Deum accedamus, miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.

561. Quominus vero inferatur cum Novatoribus, per Euchariſtiæ Sacrificium blaſphemiam irrogari Sanctiſſimo Chriſti ſacrificio in Cruce peracto, aut illi hoc derogari, illud potiſſimum impedit, primum quod una eademque eſt hoſtia, deinde idem nunc offerens ſacerdotum miniſterio, qui ſe ipſum tunc in Cruce obtulit, ſola offerendi ratione diverſa.

562. Quam etiam ob rem incruentum hujuſmodi ſacrificium, non ſolum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & aliis neceſſitatibus, ſed & pro defunctis in Chriſto nondum ad plenum purgatis rite juxta Apoſtolorum traditionem offertur.

563. Novatores privatas Miſſas comminiſcentes putidiſſime ineptiunt, Cum enim Miſſæ quælibet celebrentur a publico Eccleſiæ Miniſtro, non pro ſe tantum, ſed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Chriſti pertinent, nullæ privatæ dici debent, ſed omnes vere communes, & publicæ.

564. Miſſæ item ſacrificium Sanctis offerri nullo modo poteſt, ſed Deo ſoli, qui illos coronavit. Impie proinde Novatores impoſituram eſſe dicunt, Miſſas celebrare in honorem Sanctorum.

565. Cæremoniæ demum, veſtes, & externa ſigna, quibus in Miſſarum celebratione Eccleſia Catholica utitur, officia pietatis ſunt, non *irritabula impietatis*, ut vocant Novatores. 566.

566. Inter cetera vero luminum, ac tymiamatum usum in Christianorum sacris defendimus, quorum utrumque Sanctissimum esse, Antiquissimum, & ex Apostolica probabiliter traditione derivatum, propugnamus.

# De Sacramento Ordinis.

567. SACRAMENTUM ORDINIS illud dicitur, quo potestas traditur consecrandi, offerendi, & ministrandi corpus, & Sanguinem Christi, nec non & peccata dimittendi & retinendi, vel Sacerdoti ex officio inserviendi.

568. Cum dogma Fidei esse dixerimus, Catholicam Ecclesiam ex Domini institutione Sanctum Eucharistiæ sacrificium accepisse; fateri etiam oportet, in ea novum esse visibile, & externum Sacerdotium, in quod vetus translatum est.

569. Quumque sacra ordinatio perficiatur cæremonia divinitus instituta, cui promissio gratiæ adjuncta, merito idcirco definitum fuit, ordinem, sive Sacram ordinationem esse vere, & proprie Sacramentum a Christo Domino institutum, damnatique sunt Novatores impie asserentes, eam esse figmentum quoddam humanum, excogitatum a viris rerum Ecclesiasticarum imperitis, aut esse tantum ritum quemdam eligendi Ministros verbi Dei, & Sacramentorum.

570. Præter Sacerdotium sunt in Ecclesia Catholica alii Ordines, & majores, & minores, per quos, velut per gradus quosdam in Sacerdotium tenditur: Sunt hi autem Diaconatus, Subdiaconatus, Acolytatus, Exorcistatus, Lectoratus, Ostiaratus.

571. Horum porro Ordinum nomina, atque unius cujusque eorum propria ministeria ab ipso Ecclesiæ initio in usu fuisse, quamvis non pari gradu, testatissimis patet documentis.

572. Quamvis autem Græci, aliique Orientales hujusmodi Ordines distinctis ordinationibus conferre non soleant; hypodiaconatui tamen illos adnectunt; atque una hypodiaconi initiatione perficiunt, quod peculiaribus Ordinationibus consuevit a Latina Ecclesia præstari.

573. Etsi Clericus sit in altiori statu, quam Laicus; ampliori tamen potestatis gradu, qui ad ordinem requiritur, donatus non est, neque ministerium illi delatum peculiari titulo ad Eucharistiam pertinet: Quamob rem Clericalem tonsionem nec ordinem esse dicimus, nec Sacramentum.

574. Quid vero de minoribus Ordinibus pronunciabimus? Licet hæreant plurimi, nec ullam in hac difficillima controversia sententiam ferre ament, nos tamen Angelico adhærentes, eos Sacramenta esse probabilius tenemus.

575. Si Sacer ordo dicatur *ratione materiæ, circa quam habet aliquem actum*, ut ait S. Thomas, dubitandum minime est, Subdiaconatum majorem semper fuisse, Sacrumque ordinem, quum proprium, præcipuumque ejus munus in attrectandis, parandis, inferendisque Altari ad Sacrificii

ficii usum vasis consecratis positum semper fuerit; meritoque dictum est a Tridentinis Patribus, *Subdiaconatum ad majores Ordines a Patribus, & Conciliis referri*.

576. Quod si major, & sacer ordo idem sit, ac hierarchicus, cujus videlicet collatione spiritualis aliqua jurisdictio, & principatus initiato tribuitur; nec a Patribus, nec a Conciliis Subdiaconatus Sacris ordinibus, majoribusque fuit umquam antiquitus adscriptus.

577. Septem Diaconorum institutionem Act. 6. memoratam ad officium mere civile, & oeconomicum fuisse, nec in alio positum, quam in viduarum, inopumque cura gerenda commenti putidissime sunt Novatorum complures, quibus alios ejusdem sectæ opponimus, Joannem scilicet Pearsonium, Beveregium &c. qui paucis validiora argumenta complexi sunt, quibus oppositum demonstrant Catholici.

578. Quoniam vero in Diaconorum ordinatione Ecclesia perpetuo usa est, atque utitur eodem omnino ritu, quo septem priores Diaconi sunt ab Apostolis ordinati: hinc merito defendimus, Diaconatum esse Sacrum ordinem, ac hierarchicum, atque veri nominis Sacramentum.

579. Sacerdotium denique esse verum, ac proprium novæ Legis Sacramentum, fide certum est, proscriptique idcirco sunt a Concilio Trid. Novatores negantes Sacram ordinationem esse vere, & proprie Sacramentum, & per eam dari Spiritum Sanctum, aut characterem imprimi:

580. Quidquid sit de difficillima inter Theologos controversia utrum Episcopatus ordo a Sacerdotio distinctus sit, novumque imprimat characterem, vel eum tantummodo extendat; hoc unum inter fidei capita reponimus, Episcopos Presbyteris dignitate, & potestate præstare.

581. Quamvis S. Hieronymus ingenio acer, & fervidus Falcidii Diaconi improbitatem sese Presbyteris præseferentis depressurus, omni argumentorum genere Presbyterorum dignitatem adeo extollat, ut visus sit Epscopos ferme loco movisse, dum eos Presbyteris exęquavit; plura tamen sunt adeo nitidissima illius Testimonia, ut nulla rationis specie fingi possit, eum recessisse a receptissima Ecclesiæ doctrina.

582. Chorepiscopos unum secundum Canones non fuisse cum Presbyteris, nec Pontificatus apicem habuisse ac nonnisi septuaginta discipulorum formam gessisse, ad quorum imitationem instituti sunt, vetera Ecclesiæ monumenta luculentissime significant.

583. Non negamus tamen, quandoque id muneris veris Episcopis attributum, qui dioecesi carebant, vel quia ab violatos Canones loco moveri meruerant, vel quia ab hæreticis, & infidelibus fuerant a suis sedibus deturbati.

584. Ordinandi potestas solis Episcopis divina authoritate attributa est, irritæque semper habitæ sunt Sacræ Ordinationes, quas sibi Presbyter Episcopali dignitate non auctus temere arrogarit.

585. Hac vero potestate ita sunt donati Episcopi, ut ad ratam ordinationem nec populi, nec cujusvis Sæcularis potestatis, & Magistratus consensus, sive vocatio, sive auctoritas requiratur.

586. Ex Rom. Pontificum commissione aliquis Sacerdos simplex potest con-

conferre minores Ordines, & confirmare; non autem aliquis non Sacerdos, nec iterum Sacerdos majores ordines, qui habent immediatam relationem ad corpus Christi, supra quod consecrandum Papa non habet majorem potestatem, quam simplex Sacerdos. S. Thomas q. 38. art. 1. ad 3.

# De Matrimonii Sacramento.

588. MATRIMONIUM apte describitur Sacramentum novæ Legis in legitima conjunctione consistens unius cum una indivisibiliter habenda ad suscipiendam, ac educandam prolem ad cultum Dei.

589. Quum Matrimonium in Lege Evangelica per Christum gratia præstet, merito inter novæ Legis Sacramenta adnumerandum esse Sancti Patres, Concilia, & universalis Ecclesiæ traditio semper docuerunt.

590. Consensus, qui ad Matrimonii substantiam requiritur, necesse non est, ut expresse, & formaliter, ut ajunt, feratur in Matrimonii usum, seu carnalem actum; sed sufficit consensus in conjugalem vitæ societatem, per quem saltem tacite tradi intelligitur hinc inde potestas corporum in actum conjugalem.

591. Hinc liquet perfectum fuisse inter Deiparam, & Joseph secundum substantiam Matrimonium: quamvis enim utrique propositum esset de servanda in Matrimonio virginitate; attamen illud propositum non fuit conditionaliter in consensu appositum: talis enim conditio, cum sit contra Matrimonii bonum, scilicet prolem procreandam, matrimonium tolleret. S. Thomas in 4. distinct. 30. quæst. 2. a. 1.

592. Polygamiam Hebræis olim concessam sustulit Christus, ac Matrimonii unitatem ad divinam institutionem, & primævam originem ita revocavit, ut Matrimonii vinculo duo tantum copulari, & conjungi possint.

593. Ita expuncto Libello repudii, quem ob duritiam cordis Moyses Hebræis permisit, ad perpetuum, ac indissolubilem nexum Christus Matrimonium revocavit.

594. Matrimonii itaque vinculum neque ob hæresim neque ob molestam cohabitationem, neque ob conjugis absentiam dissolvi ullo modo potest.

595. Immerito prorsus, atque impie a Novatoribus accusatur erroris Ecclesia, propterea quod docuit, & doceat, Matrimonium dissolvi non posse propter adulterium alterius conjugis. Id quippe juxta Evangelicam, & Apostolicam doctrinam esse propugnamus.

596. Multæ tamen sunt Causæ, eæque justissimæ, ob quas merito decrevit Ecclesia, separationem inter conjuges quoad thorum, seu cohabitationem fieri posse.

597. Quamvis Matrimonia clandestina, quamdiu ea irrita non fecit Ecclesia, rata, & vera fuerint Matrimonia; nihilominus Sancta Dei Ecclesia justissimis de causis illa semper detestata est, atque prohibuit.

598. Matrimonia a filiisfamilias rationabiliter invitis, & insciis Paren-

rentibus contracta, etsi illicita, valida tamen esse defendimus; proindeque non est in potestate Parentum ea rata, vel irrita facere.

599. Sententia, qua statuitur, solos Contrahentes esse Mi nistros Sacramenti Matrimonii, atque idcirco confici ab illis Sacramentum, simul ac validum inter se ineunt Conjugii contractum, probabilis maxime nobis videtur.

600. Quæ a Benedicto XIV. P. M. Constit. *Matrimonia* statuta sunt de Matrimoniis, quæ locis Fœderatorum Ordinum dominio in Belgio subjectis iniri solent, sive inter hæreticos ex utraque parte, sive inter hæreticum ex una parte virum & Catholicam fœminam ex alia, aut vice versa, non servata forma a S. Concil. Trident. præscripta, ea, inquam, omnia sanctissime retinenda esse defendimus.

F I N I S.

